CATECHISMVS PAVLINVS.

In vsum Scholæ Paulinæ conscriptus, *ad formam parui illius Anglici Catechismi qui pueris in communi precum Anglicarum libro ediscendus proponitur.*

BODLEIANA BIBLIOTHECA

LONDINI,

Excudebat Iohannes Windet, impensis Matheæ Law, 1601.



OPTIMIS CIVIBVS, ORNATISSIMISQVE HOMINIBVS, Magistro, Gardianis, Assistentibus, & reliquæ Mercerorum Londinensium societati; scholæ Paulinæ procuratrici piè viuere, vt plè moriantur.

QVi potius operam hanc meam, quam in scholam Paulinam confero, vel communi omnium iudicio consecrarem, viri ornatissimi, quã vobis, vestræque societati, quorum fidei scholam suã Fundator ipse, vir & optimus, & ornatissimus D. Ioannes Collettus, Ecclesiæ Paulinæ quondam Decanus tuendam, conseruandamque commisit? Qui in illis scholæ suæ statutis, quæ de admittendis in eã pueris ipse sua manu descripsit, illud primum posuit, ne quis in eam á primario præceptore, cui & omnem, & omnium admissionem delegauit, vllo modo admitteretur, qui Catechismum Chri-

ſtianum antea, ſaltem Anglicè, non perdidiciſſet: quiq; perfectè legere, mediocriter ſcribere prius non pernouiſſet, Quarum ego trium rerum imperitiam licet ſcholis grammaticis hoſtem infenſiſſimam planè cognoſcerem, coactus tamen fui huc vſque earum curam habere minorem, cùm propter recens à me inchoatã in illa ſchola diſciplinam, quàm multæ, vt in alijs eiuſmodi ſcholis, remoræ in ipſo aditu ſolent impedire: tum quia in ſcholæ ipſius ſic attritæ progreſſu nonnulla mihi incommoda ſe obiecerunt, quæ accuratioris earum obſeruationis viam penitus intercluderent. Cæterùm cum ea iam, vel impedimenta ſuſtulerim, vel incommoda ſuperauerim, admiſsionem certè puerorum decreui ad ipſius fundatoris prudentiſsimam ſeueritatem reuocare, ne Abecedariam velle videar, quam ille grammaticam ſcholam inſtituit. De lectione itaque admittendorum puerorum expedita, & ſcriptione mediocriter ſaltem inchoata, quæ admiſsionem debent præcedere, ſuo priuatim loco curabitur: iam de Catechiſmo,

mo. Quem quia vel non omnino, vel negligentius omnino paruulis traditum, infusumq; comperio, ne in ea officij sui parte erga & Deum, & homines, maximè necessaria possent claudicare, carmine, eoque & styli genere aperto, ac simplici: & sine vlla vel circuitione, vel obscuritate poetica facili, à me conscriptum illis in primo scholæ Paulinæ ingressu perdiscendum propono. Quem ideo *Paulinum Catechismum* nomino, quia in vsum scholæ Paulinæ eum confeci: ideò ex Anglico nostrum transfero, quia Anglicam iuuentutem ab ipsa infantia Ecclesiæ Anglicanæ doctrinam familiarem habere cupio. Quem tamen in proiectioribus pueris meis, propter trium linguarũ Latinæ, Græcæ, Hebraicæ in eo cõiunctam societatem, & periodorum perspicuam breuitatem externum cum bona nostrorum hominum venia vsurpo Scholam meam à Catechismo incepi, ad pietatem: quæ exordiendæ disciplinæ ratio omnium piorum iudicio à primis Ecclesiæ Christianæ quasi fascijs semper fuit probata: vt quã in reliqua vita studiosè persequi deberent,

illi à primo penè vagitu pueri insuescerent: A carmine vero incepi, ad memoriam: quæ docendi, discendiq; via omnium gentium & consuetudine, & consensu ab antiquissima vetustate semper fuit vsitata, vt cum rerum argumentorumque scientia, numerosi versus beneficio animis fideliter inhærentium, quantitatum etiam in syllabis mensura, rectèque pronunciandi in voce facultas coniungeretur. Decreuerã huic operi meo eius docendi, & totius etiam linguæ Latinæ commodissima ratione comparandæ methodum attexuisse, quæ vt in cæteris, ita in hac etiam lingua, Arte, Imitatione, Exercitatione continetur. Quæ tria si in acquirenda linguarum facultate scienter, & cum iudicio adhibebuntur, facilẽ omnino, & non molestam earum acquisitionem exhibebunt, siue docentis operam spectabis, siue discentis studium: & in linguæ Latinæ methodo inchoata, ad reliquas etiam linguas pari facilitate adipiscẽdas viam complanabunt. Sed quia, sine nostræ communis grammaticæ, quam ab authoritate Regiam nominamus, correctione, nihil in eo

genere

genere percommodè perfici præſcribique poteſt, ideò in aliud tẽpus vniuerſam illam docendi methodum diſtuli, quam, quia ſcholarum claſsibus pro earum aſcenſu accommodabo, ideò omnibus eam ſcholis gratiorem fore confido. Cæterum quòd ad grammaticam illam communem attinet, cuius emendationem ſcholis omnibus vtiliſsimam fore certè ſcio, præter alias etiam circa ipſam cauſas, quæ vel cõcitatiſsimum propenſiſsimi ad communem reipublicæ vtilitatem animi impetum poterunt, non retardare ſolum, ſed etiam retundere, liber ipſe, vt propter vnitatis, concordiæ que in docendo beneficium ſatis commodè apparatur, ita propter methodum implicatam, prolixitatem nimiam, confuſionem ſine delectu moleſtam, breuitatẽ etiam alicubi noxiam, non ita vtiliter cõparatur. Verùm ego hanc meam, quam pollicitus ſum, operam è ſupra quadraginta octo annorum labore, in hac puerorũ nũc publicè aliquando priuatim docendorũ literaria prouincia coalitam, patriæ cõmuni & debere me, & deſtinare profiteor, & præſtiturum in me recipio

recipio, si Deus mihi vitam lõgiorẽ, & magistratus rei faciendæ potestatẽ velit concedere. Sed de his rebus, & Catechismo Paulino hoc tẽpore satis: in quo quid præstiterim, vel ad doctrinæ ipsius perspicuitatem, dum nõnulla aliquando interfero: vel ad puerorũ vtilitatem, dũ ad illorum in vita regenda vsum præcepta accommodo, vel ad linguæ etiam puritatem, dũ humi apertus repo, hominibus literatis censendum relinquo. Interim, vos, viri ornatissimi, mei, scholæq; Paulinæ diligentes Patroni pergite mihi meisq; laboribus esse æquiores, vt & ego etiã ad cætera, quæ sine multo, eodẽq; magno labore meo perfici non poterunt & scholæ Paulinæ bonũ, vestræque societetis ornatũ spectabunt, alacrius contendã. Deus vos, vestrãq; societatẽ ad rei & publicæ & priuatę bonũ diu incolumes tueatur Londini. Nouemb. 17. An. 1599.

Vestræ dignitatis studiosissimus, vestro delectu in schola Paulina præceptor primarius,

RICHARDVS MVLCASTER.

Quo consilio Liliana de moribus carmina in schola Paulina retineri, doceriq; velim.

Lilius ille scholæ Paulinæ gloria prima,
Primus enim in prima sede magister erat,
Carmine descripsit quædam præcepta Latino,
Quæ voluit pueros discere prima suos.
Vt sic instructi laudatis moribus essent,
Et minus ad pœnam triste pateret iter.
Quæ conata viri tanti quæ nolo tacere,
Illa volo pueros discere prima meos.
Nam ius fasq; iubent ea fundamenta manere,
Quæ prima in prima iacta fuêre schola.
In quibus eluçet generosi pectoris ardor,
Qui peperit pueris talia iura malis,
Namq; boni pueri non vlla lege tenentur,
Omnia qui faciunt optima sponte sua.
Iura malis pueriq; viriq; severa feruntur.
Omnia qui faciunt pessima sponte sua.
Inde illos voluit reuocatos Lilius disce
Carminibus, sed quis carminis vsus erit,
Ni bona pro stimulo comitentur carmina virgæ,
Vnde suum accelerat tardus asellus iter?

Ille

Ille bonam, & merita donandam laude sementem
Fecit, qualis eam cumque secuta seges.

Gulielmi Lilij ad suos discipulos, monita pædagogica, seu carmen de moribus.

QVi mihi discipulus puer es, cupis atq; doceri,
Huc ades, hæc animo concipe dicta tuo.
Mane citus lectum fuge, mollem discute somnum.
Templa petas supplex, & venerare Deum.
Attamen in primis facies sit lota, manusque:
Sint nitidæ vestes, comptaq; cæsaries.
Desidiam fugiens, cum te schola nostra vocarit,
Adsis: nulla pigræ sit tibi causa moræ.
Me præceptorem cum videris, ore salusta,
Et condiscipulos ordine quosq; tuos.
Tu quoq; fac sedeas, vbi te sedisse iubemus,
Inque loco, nisi sis iussus abire, mane.
At magis vt quisque est doctrinæ munere clarus,
Sic magis is clara sede locandus erit.
Scalpellum, calami, atramentum, charta, libelli,
Sint semper studiis arma parata tuis.
Si quid dictabo, scribes, at singula rectè:
Nec macula, aut scriptis menda sit vlla tuis.
Sed tua nec laceris dictata, aut carmina chartis
Mandes, quæ libris inseruisse decet.
Sæpè recognoscas tibi dicta, animoq; reuoluas:
Si dubites, nunc hos consule, nunc alios.
Qui dubitat, qui sæpè rogat, mea dicta tenebit.

Is quì nil dubitat, nil capit inde boni.
Discè puer quæso, noli dediscere quicquam,
Ne mens te insimulet, conscia desidiæ.
Sisq; animo attentus: quid enim docuisse iuuabit,
Si mea non firmo pectore verba premis?
Nil tam difficile est, quod non solertia vincat:
Inuigila, & parta est gloria militiæ.
Nam veluti flores tellus nec semina profert,
Ni sit continuo victa labore manus:
Sic puer ingenium si non exercitet, ipsum
Tempus, & amittet spem simul ingenii.
Est etiam semper lex in sermone tenenda,
Ne nos offendat improba garrulitas.
Incumbens studio submissa voce loquêris:
Nobis dum reddes, voce canorus eris.
Et quæcunq; mihi reddes, discantur ad vnguem,
Singula & abiecto verbula redde libro.
Nec verbum quisquam dicturo suggerat vllum:
Quod puero exitium non mediocre parit.
Si quicquam rogito, sic respondere studebis,
Vt laudem dictis, & mereare decus.
Non lingua celeris nimis, aut laudabere tarda:
Est virtus medium, quod tenuisse iuuat.
Et quoties loqueris, memor esto loquare Latinè,
Et veluti scopulos, barbara verba fuge.
Præterea socios, quoties te cunq; rogabunt,
Instrue, & ignaros ad mea vota trahe.
Qui docet indoctos, licet indoctissimus esset,
Ipse breui reliquis, doctior esse queat.

Sed

Sed tu nec ſtolidos imitabere Grammaticaſtros,
Ingens Romani dedecus eloquii.
Quorũ tã fatuus nemo, aut tam barbarus ore eſt,
Quem non authorem barbara turba probet.
Grammaticas recte ſi vis cognoſcere leges,
Diſcere ſi cupias cultius ore loqui:
Addiſcas vterum, clariſſima ſcripta virorum,
Et quos Authores turba Latina docet.
Nunc te Virgilius, nunc ipſe Terentius optat,
Nunc ſimul amplectis te Ciceronis opus.
Quos qui non didicit, nil præter ſomnia vidit,
Certat & in tenebris viuere Cimmeriis.
Sunt quos delectat (ſtudio virtutis honeſtæ
Poſthabito) nugis tempora conterere.
Sunt quibus eſt cordi, manibus, pedibuſue ſodales,
Aut alio quouis ſollicitare modo.
Eſt alius, qui ſe dum clarum ſanguine iactat,
Inſulſo reliquis improbat ore genus.
Te tam prana ſequi nolim veſtigia morum,
Ne tandem factis præmia digna feras.
Nil dabis, aut vendes, nil permutabis, emeſue:
Ex damno alterius commoda nulla feres.
Inſuper & nummos irritamenta malorum,
Mitte aliis: puerum nil niſi pura decent.
Clamor, rixa, ioci, mendacia, furta, cachinni,
Sint procul à vobis, Martis & arma procul.
Nil penitus dices, quod turpe, aut non ſit honeſtum:
Eſt vitæ, ac pariter ianua lingua necis.
Ingens crede nefas, cuiquam maledicta referre:

Iurare

Iurare aut magna numina ſacra Dei.
Demq; ſeruabis res omnes, atque libellos,
Et tecum, quoties iſque rediſq; feres.
Effuge vel cauſſas faciunt quæcunq; nocentem,
In quibus & nobis diſplicuiſſe potes.

Peroratio, in qua monẽtur pueri, vt ſponte ſua præcepta Liliana ſeruent, ne ad ea ſeruanda metu cogantur: vbi etiam docetur metus, vel in media clemẽtia, perquam eſſe neceſſarius.

His ego te monitis parentem ſedulus hortor,
Sponte tua vt ſanis moribus eſſe velis.
Ne tibi ſi duram non flectet gratia mentem,
Cogatur mollem findere virga cutem.
Illud enim extremum, quò diſciplina refertur,
Tendit eò, pueros ne ſinat eſſe malos,
Quod ſi non poterit clemens præſtare magiſter,
Quo poterit, ſaluo iure, ſeuerus habet,
Nam Deus in prima primos cum lege parentes
Ne comedant mortis prœuia poma vetat,
Nonne docet ſancire metu decreta? magiſtris
Nonne dat in pueros virgea ſceptra malos?
Atqui hoc ille metu legem prætexuit illam,
Cum iam expers omnis criminis eſſet Adam.
Tuq; metum exilio mulctabis? abire iubebis
Improbus è noſtris verbera iuſta ſcholis,
Cum peccârit Adam, pueros cum infecerit omnes?

No

Ne sua peccator flagra meretur Adam.
Nec tamen illa bonus metuat puer, vt neq; tristem,
Cum peccata luit pendula turba, crucem.
Læsam se queritur respublica, se quoq; læsam
Res priuata, metum cùm puer exuerit.
Qui licet egregiis sit moribus, indole rara,
Dives & ingenii dexteritate boni,
Improbus euadit liber, pulsoq; timore
Impuni credet cuncta licere sibi.
Nec sese in sese reuocat, sed pronolat extrà,
Et passim nugas expatiatus agit.
Verùm qui metuet, solum meditabitur illud,
Quod sibi propositum, quo meditetur, habet.
Inde hominum variæ species: qui pronolat extrà,
Ingenii fiet mobilitate leuis.
At qui constanter meditatur, quicquid agendum,
Ingenii fiet nobilitate grauis.
Inchoat a numeris studium puerile, probatq;
Hac ratione Plato, quale sit ingenium,
Namque puer numeros; quorum non vlla videtur
Forma, cito, arripiens, quod libet, arripiet.
Quod nunquam faciet, quantumuis ingenosus,
Ni circumscribat septa tenenda metus.
Ingenium, primis quod non depascitur annis,
Pluribus insanum luxurianter aget.
Quæ vitis fœcunda? quod aruum fertile? quæue
Arbos ad fructus non minus apta bonos?
Si non agricolæ calloſa coarceat arte

Dex-

Dextera, ne faciant irrita vota sibi?
Sic & inutilibus priuatur frondibus arbor,
Pingue nec amburens læserit herba solum.
Si puerum cupiet plenis adolescere ramis,
Vt lætus carpat suauia mala, parens,
Amputet agricolante manu, quæcunq; nocebunt.
Quando erit in primo plantula vere recens.
Nam priuata domus frustrà compescet adultum,
Quem non continuit cautior antè metus.
Sed neq; qui regnat solio sublimis in alto,
Quiq; magistratus inferioris erit,
Inueniet sibi parentes ætatis adultæ,
Quos non continuit iustior ante metus.
Vt schola, prudentem sibi si sit nacta magistrum,
Obsequium regi sit paritura suo.
Quique metu didicit iuuenis parere, puerq;
Grandibus imperiis officiosus erit.
Est tamen & mater virgamq; metumq; perosa,
Quæ panget nato verbera nulla suo.
Ille meus sola flectetur voce, Magister,
Et terget lachrymas ista locuta suas.
Est & præceptor, qui præ mercedis amore
Nulla paciscetur flagra probare, leuis.
Nec soleo virgis vti, nec verbere lator,
Orbilius dici res odiosa nimis.
Sicq; docere tamen magnus labor: ista loquetur,
Sentiat vt clemens aurea dona manus.
Quo stolidus vitio pueros corrumpit vterq;
Blanda licet Siren velet vtrumq; nefas.

At nulla dignus talis mercede magiſter,
Dignaque vix vllo pignore mater erit.
Et tamen in venia peccat minus illa, magiſque,
Præceptor fatuus, mater inepta minus.
Illa ſuum duce natura prætexet amorem,
Ille ſuum turpi crimen auaritia.
Cuius eum illecebræ ſic implicuiſſe videntur,
Vt ſacrum penitus negligat officium.
Præferat & quæſtum patriæque Deoq́, pudendum,
Nec matrem monitis ad meliora vocet.
Quæ ſemel audita prudentis voce magiſtri,
Ipſo iudicii pondere victa ſolet.
Hos præceptores aliquando Academia mœrens
Sentiet, immò illos ſentiet ipſa parens.
Quæ ſibi cum natum rudiorem ſenſerit, inde
Colliget, à ſæno quid ſit abeſſe metu.
Interea orbatur ducibus reſpublica doctis,
Pondere prò ſolido plena leui palea.
Talis enim nunquam ſolidum clementia fructum
Proferet, inculta fertilitate ſoli.
Quod ſi quando aliquis melior puer exeat inde,
Debebit ſtudio, ſic didiciſſe ſuo,
Non operæ, aut methodo ſibi præcipientis, in aurum
Qui defixa ſuæ lumina mentis habet.
Nec tam profectum pueri meditatur honeſtum,
Quam ſibi quo loculus turgeat ære ſuus.
Nec tamen ille, metum qui tanti cenſet habendum,
Vel longo virgam donat honore breuem:
Iniuſtum vult eſſe metum, virgamque tyrannam,

Temperiem

Temperiem prudens censor vtriq; dabit.
At iustum esse metum, virgamq; licere, probabunt,
Ipsæ hominum leges, ipsaque iura Dei.
Sanctio quas claudens mulctis, pœnaque minaci,
Efficit, vt firmo ius stet vbique loco.
Sic corrupta hominum natura requirit, habetque,
Pro remora contra pessima quæque metum,
Immò requirit idem, quæ incorruptissima, frenum,
Ne cupiat pulso pessima quæque metu.
Sic quicunque malus, metuat, bonus vt velit esse,
Et quicunque bonus, ne velit esse malus.
Sic metus à teneris, perque ipsa crepundia reptant,
Vberis Autumni pinguia farra metet.

CATCHISMVS PAVLINVS.

Quætens. Respondens.

Q. QVod tibi nomen? *R.* Ioannes. *Q.* Quisnam indidit illud?
R. Qui susceperunt, imposuere mihi.
Cum sacra primæ tinctura mergerer undæ.
Sordida fœlici crimina lotus aqua.
Vt fierem Christi membrum, regnique coheres
Cœlestis, patris progeniesque Dei.
Q. Baptismi triplicem fructum percipis. At cur
Primas in primo limine nomen habet?
R. Vt Domini famulatum iniens, sic scribar in illo,
Qui tenet ad vitam nomina nata, libro.

I
Cur a nor
ne incipi.
Catechil.
mus.
Luc. 10.
Phil. 4. 3.
Apoc. 5. 9
20. 12. 2
27.

Vnde suos quando iudex censebit Iesus,
.20.12. *In sacro inueniar nomen habere libro.*
2 *Cumque Deus dicat se illum de nomine nosse,*
Cui fauet, in paruo pondere nomen erit,
0.33.12. *Quod cum noticia Domini testatur amorem,*
A prima incipiens tessera grandis aquâ
3 *Quinetiam dominus rationem nominis ipse,*
Et quonam titulo quisq; vocetur, habet.
ic 1.13. *Hinc & Ioannes & magni nomen Iesu,*
at. 1.21. *Virtutem titulo significante suam,*
Parta salus homini misero dat nomen Iesu,
Quod dat Ioanni gratia vera Dei.
Zachariæ nomen cognatio tota popoſcit,
Mater Ioannem sancta vocare iubet.
Ille sui memorem titulus prior iudicat, atqui
Posterus authorem nominis esse, Deum
.55.7 8 *Sic sua consiliis, quamuis sint optima, nostris*
9. *Admonet omnipotens anteferenda Deus.*
4 *Et pueri pulchrò donati nomine turpem*
Seaula debebit, cura cauere totam.
Quem quoniam obrepens obliuio sæpius vrit,
Virtutem in memori pectore nomen alit.
5 *Ne memores magni possent præstare Iehouæ,*
an.1 7. *Cuius in illorum nomine nomen erat,*
Nobilium iuuenum Babylonius ille Tyrannus
A vero in vanas nomina vertit opes.
Qui prius Azarias, Domino auxiliante, vocatus
Dictus abednego, seruus honoris, erat.
Sic etiam reliquos titulo splendoris inani

A vero valuit dissociare Deo.
Inde docens, quantum ad vitam conducat honestam,
Nominis admonitu scire timere Deum.
Inq́, prophetarum libris quam sæpè monetur 6
A Domino populus cladis adesse diem, Esa. 8.
Nominis iudicio puerilis, vt inde probetur Hos. 1.
Vis magna in prima nominis esse nota.
Indita quinetiam pueris sunt nomina passim
In sacris Dominum testificata libris, 7
Aut aliquem certè veræ virtutis honorem,
Nomina vt ad mores sint monumenta pios,
Hinc Domino princeps Israel dictus ad ipso,
Imposuit proli nomina fausta suæ.
Hinc Titus à pœna, ne peccet, Timotheusq́, Gen. 32.
A summi vero dictus honore Dei: Gen. 30.
Mentis enim officium puerorum nomina dictant, 3
Corporis vt formam picta tabella refert.
Ipse modum numerus superabit, si modo pergam
Omnia, quæ in sacris enumerare libris. 8
Hinc reor antiquos primo in baptismate patres,
Sic nomen pueris imposuisse suis,
Eius vt admonitu meliores vsque canerent,
Turpiter insignem dedecorare notam.
Quam rem prima cutis cum circumcisio prima 9
In pueris faceret Mosis ab ore suis.
Succedens Baptismus ei fœliciter audet,
In prima pueris indere nomen aqua,
Inde Catechismus Christum docturus Iesum
Vestibuli in primo limine nomen habet.

Q. Ista quidem rectè: at primo in baptismate primi
Cur, qui susciperent, instituere patres?
R. Tota erat, vt nunc est, baptismi Ecclesia testis,
Sed susceptorum propria cura fuit.
Qui curatores habet omnes, non habet vllum,
Socordiq; manu publica spreta iacent,
Vera fides igitur multis agitata procellis,
In quibus infantum deperiere patres,
Instituit certos quosdam, qui patribus orbos
In vera infantes erudiere via.
Quos vt ad incertos per mille incendia casus
Compositos sciret concio sacra prius,
Ingenti studio prudenter cauit, vt ipsos
Vinciret certa sponsio prima fide,
Queis reliqua ad victum, cui tota Ecclesia partem
Contulerat, solitum suppeditare fuit.
Donec eos atas sic prouexisset, vt ipsi
Victum omnem possent suppeditare sibi.
Et nostri veteris seruant vestigia cure,
Qua se promissi religione ligant.
Nec satis in veros operam transferre parentes,
Quam coram Domino te subiisse liquet.
Immo quam Domino, cui fit promissio, debes,
Nam Domini partes voce minister agit.
Qui nostris hodie mos susceptoribus, vt se
Suscepti exortes fœderis esse putent.
Cum dixere semel patribus se tradere curam,
Ipsis in sacro quæ data fonte fuit.
Nam qui suscipiunt, promissi iure tenentur,

Si quo deficiat cura paterna modo,
Curare, vt ſanctis inſtructus moribus infans
Promiſſa hac ipſos liberet arte ſuo.
Multaq; prætereà pro conſuetudine gentis,
Progq; modo patriæ legis obire decet,
In quibus vſus erit multuſque, & magnus eorum,
In primo tibi qui fonte fuere vades.
Vnde mihi ratio de ſuſceptoribus iſta
Conſilio patrum viſa manere bono.
Et quamuis hodie non ſic quatiatur, vt antè,
In Chriſtum à primo fonte recepta fides,
Multa tamen poſſunt, q; ſolent que occurrere, pubes
Vt ſuſceptorum paruula poſcat opem.

Q. Quæ promiſſa illic? quæ cura vicaria, pro te
Quam ſuſceptores tum ſubiere tui?
R. Sunt tria, quæ pro me tum ſuſcepere futura:
Quorum illud primum, vt Dæmona reſpuerem
Cui captiuus Adam, contracta ab origine culpa,
Tradiderat ſeruum ſeque, ſuumque genus.
Nec quicquam illius ſequerer, pompaue ſuperbus,
Inflata efferrem mobilitate caput.
Ne caro pruritus nimii feruore furentem
Iuſſa voluptatum cogeret vlla ſequi.
Neu mundus tumidi cæcans caligine fumi
Truderet infœtus ambitione plagas.
Vnde fides primi baptiſmatis irrita mortem
Ne miſerum faceret rurſus obire nouam.
Tum quoniam deuota fides primaria Chriſto,
Cum caput ablueret lotio prima meum,

Quid ab
lis ſuſce
in Baptiſ
pro infa

Rom. 5.

Pluribus articulis, & pleno corpore constat,
Quos omnes debet scire fidelis homo,
Et cùm norit eos, constanter credere notis,
Hoc me facturum cura secunda fuit.
Vtque vnum triplici agnoscens sub nomine numen,
Quaque solent veram verba docere fidem.
Legis in obsequium diuinæ promptius iremi,
Quæ susceptorum tertia cura fuit.
Nam quia profuerit pueris, inopiq; iuuentæ
Ad vanam articulos edidicisse fidem,
Si non officiũ laudatis moribus illos
Ad vitæ referant vltima fata suæ?
Q. Et tibi non credenda putas, faciendaq; cuncta,
Nomine sponsores quæ pepigere tuo?
R. Credo lubens: faciamq; Dei modo gratia viret
Dignetur puero suppeditare suas.
Cui fum lo grates imo de pectore summas,
Quod puerum inter eos me numerare velit,
Quos ad cœlestis regni imitauit honorem,
Dæmonis ereptos faucibus ante mali.
Quæ mihi conditio gratis oblata perennes
Exprimit ad cœli regia tecta preces.
Vt saluus fieri cupiam, dum vita manebit,
Et Dominum moriens posse videre Deum.
Q. Credere te fidei articulos, & discere velle
Pollicitus nunquid commemorare potes?
R. Quid ni commemorare queam, quos sæpius vno
Quoq; die soleo commemorare mihi?
Est pater Omnipotens cœli terræq; creator,

In quem credo, Deum quippe patremq́ meum,
Nec minus in Christum credo constanter Iesum,
Qui patri proles vnica, & vna Deo,
Vnicus & nobis Dominus, cui matris in aluo
Conceptum sanctus spiritus esse dedit.
Qui natus Maria de matre, & virgine (virgo
Nam iam facta parens immmaculata manet)
Passus & iniusti sub iudicis ore Pilati.
Culpæ illum fassi nullius esse reum,
Deinde cruci affixus, post mortuus atque sepultus,
Et loca descensus inferiora petens.
*Vt quædam efficeret, sibi soli * nota, patriq́,*
*Scripturis faciens sed sine voce * fidem*
Agmina deseruit morti subiecta resurgens,
Cum pulchro micuit tertius ore dies.
Quadraginta dies in terris deinde moratus
Ascensu in cœlum nobile cepit iter.
Patris vbi dextram claudens, sessuq́ triumphans,
Nobis & Deus est, & Mediator homo.
Vnde iterum veniet viuis, & morte peremptis
Iudex, post soli tempora nota patri.
Spiritus est etiam, quem ad sanctificanda piorum
Pectora, quos cœli vita beata vocat,
Emittunt pater, & patri par Christus Iesus
Filius, hinc sancti nobile nomen habens,
Quod, Deus & penitus macula secretus ab omni
Cultores faciat labe carere suos.
Credo in eum, per quem totũ quæ sparsa per orbem
Conuolat ad veram turba vocata fidem,

1. Amb. Iero in I 4.8. Cõtra C men. A drium. ερομ. Ait Apo 6. Chri apud In ros præ care.

Cui

Cui vel iustitia tectas, vel sanguine lotas,
Ipse suo sordes Christus obesse vetat.
Hæc electorum soboles communia sentit
Omnia, quos Dominus pectora sancta beat:
Quæ duo tam purè credo, quam credo remitti
Illis peccatum, quos iuuat esse pios.
Quinetiam credo, caro quod tum nostra resurget,
Vltima iudicii cùm tuba poscet eam.
Quodque pii æternæ potientur munere vitæ,
Damnata ad pœnas impietate pares.
Hæc sunt, quæ per eos dixi me credere, quaque
Certus constanti singula credo fide.
Q. Articulos fidei perfectè scire videris,
Sed quid præcipuè hinc te didicisse putas?
R. Hinc in eum, per quem spacioſi machina mundi
Facta fuit, patrem credere disco Deum.
Tunc in eum patri qui filius, & Deus idem,
Humani generis morte redemptor erat.
Deinde in eum, sanctus qui spiritus inde vocatur,
Quod faciat nobis pectora sancta, Deum.
Quæ tria distincto sunt nomine nota, sed vnum
Vera omninò Deum simplicitate notant.
Q. Istis nituntur gradibus quicunque fidelis,
Sed quo certa gradu nititur ipsa fides,
Vt credatur eo credenda hæc omnia, quæque
Res fidei faciet, vt sit habenda fides?
R. 1. Vera Dei ipsius vox, & mandata prophetis
Credita, perque omnes scriptio ducta patres,
Confirmante eadem nobis interprete Christo,

Qui

ei ipsius
sè qui-

Qui totum proprio sanguine sanxit opus,
Prater tot fidei testes, quos saua tyrannis
Discerpsit mira cum feritate fremens,
Cogeret vt fractos Christumq; Deumq; negare,
Fortia nec potuit corda domare tamen,
Quin Christum, Christiq; patrē constanter amarent,
Atq; faterentur, quæ mihi dicta prius,
Hanc fidei fecere fidem, quæ gratia vitæ
Vera docet miseros dulce salutis iter.
Præterea Deus omne bonum largitur, & idem
Punit decursu temporis omne nefas
Cumque scelus summum sit mens incredula, pœnam
Qui vitare volet, debit habere fidem.
Denique cum claudas vitam, qui inceperis, ecquid
In vita vitæ suauius esse potest,
Quam dono fidei, cœlum, sedesque beatas
Ipsumq; ante oculos semper habere Deum?
Et ratione pia sic hanc traducere vitam,
Vt post æternæ compos ouare queas?
Quod fidei solius opus, cui cætera cura.
Vitæ ergo nobis ianua sola fides.
Quin & homo gens plena malis, animalq; superbum,
Semoto cupiens libera colla iugo,
Quem rapit insano furiosa licentia cursu,
Per quod non audet turpiter ire nefas?
Sed Deus vltrici metuendus, & agnitus ira
Per veram cohibet facta scelesta fidem.
Vnde voluntatis vitiosæ vulnera vitans
Debebit fidei munera salnus homo,

Ergo

Ergo fidem fidei primum ſcriptura, deinde
Ipſa piæ vitæ gratia ſana facit.
Q. Quidquid vera fides credendum poſtulat, illud
Intra theſaurum pectoris omne tenes.
Non ſolum articulos fidei fundamina noſtræ,
Verum vnde articulis detur habere fidem.
Eſt autem vlterius pergendum: nam reor iſta
Mortua, nec Domino complacitura Deo,
Ni verè facias, primi quæ in fonte lauacri
Sunt promiſſa tuo nomine, an illa tenes,
Queis lex officii, fideiq; effecta docentur,
Viua ſibi nomen vendicat vnde fides?
R. Illa decem Domini, quæ ſcripſit dextera, quæque
Præcepit populo iura tenenda ſuo.
Solus ego Iſrael tibi ſum Dominuſque Deuſque,
Cui ſoli debes viuere, ſolus ego.
Ex Ægyptiaca qui te tellure reduxi,
Vt tua, ſerua prius, libera vita foret.
Nolo Deos habeas alios, ne læſus & ira
Percitus excindam teque, tuoſq; Deos.
Sunt etenim verè nulli, licet impius error
Donarit titulis nomina vana ſacris.
Quæ verè eſt hominum peccantum pœna, relicto
Qui veri cultu, & religione Dei,
Se vel dæmonibus ſeruos addicere gaudent,
Vel, quibus eſt nullus ſenſus, imaginibus,
Vt vero ſeruire Deo qui nolit, in iſta
Præcipiti fatuus ludicra mente ruat.
Nola tibi facias omninò ſculptile ſigmum

7 Dei data. d. 10. 1

Vel

Vel formam, vllius quæ sit imago rei,
Quam cœlum capiet sursum, vel terra deorsum,
Vel terra inferior quælibet vnda teget,
Quæ veto, ne expanso prostratus corpere adores,
Neue colas manibus numina facta tuis.
Solus ego tibi sum Dominus Deus, omnia forti,
Qui verbo feci, quique guberno manu,
Qui transferri alio mihi propria, non sine pœna
Zelotes vlla conditione sinam.
Qui sceleratorum cernens malefacta parentum,
Queis erat in nullo nomen honore meum,
Natorum natos, & qui nascentur ab illis,
Visito, quo pœna patria facta luant,
Quem contra illorum proles millesima patrum,
Munifica capiens præbita dona manu,
Inueniet mitem, mea qui præcepta secuti
Excipient pleno nomen honore meum.
Nolo Dei Dominiq; tui temerarius vllo
In vanum actipias nomina sacra modo.
Ne nimis audacem venerandi nominis vsum
Seu res vrget eo seria, siue iocus,
Supplicio graniore luas, quia non erit insons
Is mihi, qui tantum nomen inane facit.
Nolo tibi è memori labantur sabbata mente,
Cum tibi, cumque tuis sacra tuenda quies.
Ex tibi cedo dies, quibus illa operabere, quæ te
Spectant, quæque tuum iure putantur opus
Sed Domino sacrata Deo lux septima, in illa
Non facies vllum, quod tibi seruit, opus

Vel tu, vel sexus vtriusque ex te edita proles;
Vel seruus Domini, serua vel vlla tua,
Sed neque iumentum, neque qui peregrinus habebit
vlla intra portas hospitu tecta tuas.
Sex etenim Dominus cœlum, terramque diebus,
Et mare, quæque in eis, omnia fecit ea.
Verum quando dies effulsit septima, in illa
Desiit omnipotens plura creare Deus.
Vnde quiescenti Domino lux septima sacra,
Qui benedixit ei, & sanctificauit eam.
Terrestres habeas, voio, summo in honore parentes,
5 Ille mihi, qui illis, officiosus erit.
Nam qui oculis visos nulla pietate parentes
Excolit, inuisum qui colet ille Deum?
A quo patre patres deriuant nomina nostri,
A quo patre sui munus honoris habent:
Preterea quonam pacto reuerebitur illos,
Quos iubet officii præpositura coli,
Vel cani capitis commendat gratia, nullo
Qui patrium ingratus nomen honore colet?
Namque parentalis titulus complectitur omnes,
Quos habet vt nostros ciuicus ordo patres,
Hos igitur debes omnes reuerenter habere,
Erga illos vt sit plenus amoris honor.
Sic longæuus eris, dum te data terra tenebit,
Semper victurus, cùm moriere semel.
6 Non te, non alius ferro, linguaue necabis
Quo potes admissi crimmis esse reus,
Si vel fama tui vicini læsa, cruorue

Fusus

Fusus in vltoris personet aure Dei.
Deniq; quicquid erit, rabidam quod nutriet iram,
Vel quo proximitas læsa requiret opem,
Omne illud fadas nolo, cum occidere nolo;
Quo vicinorum sit tibi chara salus.
Vt meus esse queas, nunquam mœchaberis, ausus 7
Sacra maritalis rumpere vincla thori.
Sed neque te effreni titillet amore libido,
Vt præceps ineat devia scorta furor.
Neu te externa caro, quam nullam attingere debet,
Suadeat impurum commaculare caput.
Quippe meitandem cultus euadet adulter,
Huius adulterii quisquis amator erit.
Furtum non facies vlla ratione trahendo
Ad te, vel vi, vel fraude aliena bona. 8
Nam cuicunque dedi quicquam, volo suppetat illi,
Possit vt inde mei muneris esse memor:
Sed quicunque manu violenta, aut fraude maligna
Inuolat in iustas proximitatis opes,
Ille sibi acceptum referet, manuiq; rapaci,
Quicquid ab ingenio pellice nactus erit,
Non mihi quem à iustis Dominis possessa vetantem
Eripere, impunis nemo latere potest.
Contra vicinum volo ne sis testis iniquus 9
Dum cupis esse aliis æquus, iniquus ei.
Namque ego Patronus veri mendacia damno,
Et fallax odio prosequor omne caput.
Nam qui fraude homines consuerit fallere, credet
Ipsum se circum posse venire Deum.

Sed

Sed me non poterit cui rerum peruia claustra
Quique occulta oculis omnia cerno meis.
Nec solum veto, ne facias, quæcunq; vetantur,
10. *Sed ne vel cupias, quæ cupienda nego.*
Quarum etenim rerum vitiosa est actio, earum
Qua ratione potest esse cupido bona?
Nolo igitur cupias, quas proximus incolit, ædes,
Non, quæ legitimo fœmina iuncta thoro,
Non, qui seruit ei, non quæ ancillatur eidem,
Vectoremue asinum, ruricolamue bouem.
Deniq; quicquid erit, quod proximus occupat, illud
Ne cupias vitio mentis habere tibi.
Sic animus purus tibi murus aheneus, & sic
Dines eris nunquam deficiente penu.
Q. Hæc præcepta decem video te scire, sed inde
Quidnam præcipuæ commoditatis habes?
o offici- *R. Inde Deo primùm disco seruire, deinde*
manda- *Quo mihi vicinum prosequar officio.*
Q. Quod tandem obsequiū, quæue officiosa voluntas
Qua Domino parens esse iubere Deo?
R. Vt credens in eum timeam esse odiosior illi,
9 *Vt solum pleno pectore totus amem.*
ficium *Vt cultu merito venerer, spe totus in illa,*
a Denim *Vtque illi grates officiosus agam.*
Vt cum dura meas superans angustia vires
Sternit, in auxilium præsidiumq; vocem.
Vt purum illius verbum reuerenter honorem,
Excipiens flexo cœlica dicta genu.
Vt submissus ei cupiam seruire; quousque

Conclu-

Concludam vitæ tempora summa meæ.

Q. Officium quodnam poterit tibi proximus à te
Poscere, vt id fiat, præcipiente Deo?

R. Vt parili similes nos complectamur amore,
Neue vlli faciam, nolo quod ipse pati.
Vt patrem matremq; meum studiosius honorem,
Omni illos opera consilioq; iuuans.
Vt Maiestati regali, eiusq; ministris
Obsequar, & merito mitis honore colam.
Vt me subiiciam patientius omnibus illis,
Quos mihi honorandos præpositura facit,
Dum formare rudes, vel honestis artibus artus,
Vel quauis alia re meliore studet.
Ne facto, dictoue alios offendere, neue
Fallax impuris moribus esse velim.
Ne fraudes, odiumue latens sub pectore celem,
Irritemue meas ad mala furto manus.
Vt mala mendacis fugiam conuitia linguæ,
Seu clam, seu coram fundere verba velim.
Vt puer in studiis, & honestis moribus omnem
Vitam animo purus, corpore castus agam.
Vt mihi iure meum cupiens acquirere victum,
Non cupiam alterius ditior esse malo.
Vt quodcunq; genus vitæ diuina voluntas
Me velit, & qua vult conditione, sequi,
Sic in eo verser studiosus, vt omnia præstem,
Solaq; quæ Domino grata futura Deo.
Hæc bene, sed cupio particularius illa
Exponi pueris quæ facienda bonis.

Illis

Illis ſunt etenim morum præcepta bonorum
Tradita, quæ in variis edita cerno libris.
Quorum ſuæ præcepta detem primaria fontes,
Quæ cupio capiti reddita quæque ſuo.
Non etenim ſolis hæc præcipiuntur adultis.
Quos perfecta ætas ſcire docebit ea:
Sed pueris etiam, quorum immaturior ætas,
Matura indigent præcipientis ope.
Idcirco cum tam plene percurreris illa,
Queis matura ætas diſcat amare Deum,
Illa doce, per quæ propriè immaturior ætas
Mandatis parens eſt placitura Deo.
Vel, monitis ſi non uere auſcultauerit iſtis,
Lugebit tamo diſplicitura patri.
R. Sic faciam, faciluque via decurrere nitar
Poſſit vt illorum, qui legit, eſſe memor.
1. Vult Deus eſſe Deus ſolus, cauſamq́, voluntas
Ipſa ſuam ſecum, cur mereatur, habet.
Libertatis enim titulo, quæ non bona claudit?
Nomine vt Ægypti continet omne malum,
Corpora quo captiua gemunt, animique premuntur
Seu Satan Dominus, ſiue cruentus homo.
Hinc ita concludit, bona qui omnia largiter offert,
Et mala diſpellit, ſolus is eſto Deus.
Quod ſi alios fingas, vano tibi nomine fingas,
Qui nec profuerint, obfuerintque tibi.
Quando petes, audire putes? at cætera nulla
Ni capiat facili, qui Deus, aure preces.

Hunc

Hunc si ignorabis talem, vel spernere notum
Audebis, mcles quanta futura mali:
In reliquis quicquid peccabitur, effluet inde,
Aetas quod Dominum nesciat ista Deum.
Vnde sibi auxilium poscet, quo discere possit,
Quicquid honestatis suadet amare schola,
Vnde etiam à vitio prudens terrebitur omni,
Armatum rapido cum legit igne Deum.
Hinc præceptorum labor, & pia cura parentum
Non sola Dominum voce docere Deum,
Sed mediis illis etiam melioribus vti,
Quæ paruos animos ad pia facta vocant.
Hæc media in partes deduco quinq; nec illis,
Plura peto, quamuis plura petenda putem?
1, Prima catechismi cura est, vt noscere discat
Impressa verum religione Deum:
Qui pater & Dominus, qui Maiestate verendus
Vere vnum in triplici nomine numen habet.
Qui molles puerorum animos & mitia corda
Vera virtutis cognitione beat.
Vt teneræ ætatis fundatum robur in ore
Ipsius in laudes fortius ire queat.
Qui beat hanc nobis vitam, donatque futuram,
In qua nil præter gaudia sola sonat.
Quem pueri debent super omnia semper amare
Quòd Dominus tantum Christus amârit eos.
Vt per eos animi factum pessundaret omnem,
Vt per eos cæli suaue doceret iter.

13
Quinqu
pietatem
pueris in
rendam
cessaria.
1
Catechi
mus.
Psal. 8. 3

Mat. 18
Luc. 18

t. 8. 3. *Vt per eos veri capitales sterneret hostes.*
r. 10. 16. *Amplexuq́ suo duceret esse suos.*
Ergo Catechismum qui non didicere, parentes
Et præceptores in vitio esse docent.
Nec venerantur eum, quẽ non didicere verendum.
Quorum prima, Deum non didicisse, lues.
In quo aliquid peccant pueri, sed plura parentes,
Quique illis præsunt iure magisterii.
Quorum, cum poterat flecti iam mollior ætas,
Ad pietatem illos instituisse fuit.
2 *Proxima: quando sacer cœtus celebrabitur, illos*
æsentia in *Cogere, cum reliquis inter vt esse velint*
mplis. *Ne mediis ludat blasphema iuuenta plateis,*
Dum colit æternum cætera turba Deum.
Inde mali labes omnes, contagioque omnis,
Quæ pura in primo gramine culta necat.
Inde fit, vt prauas citò præcipitetur in artes
Qui violat Domino tempora sacra Deo,
Reg. 8. *Qui sacra templa suas cum passim nuncupat ades,*
th. el. *Illic præsentes imperat esse suos.*
Vt fusis ipsum precibus veneranter adorent,
Quæ res præsentem testis adesse Deum.
Vt sileant lingua taciti, vultuq́ modesti,
Dum vitæ verbum concio sacra docet.
Deniq́ sic se habeant, sic præstent omnia, tanta
Quæ Maiestati subdita corda decet.
Tam bene compositos animos, tam pectora sancta,
Quid nisi, quod faustum, posse manere putes?
Vt proprias sedes, ipsorum ante ora parentum

In templis ætas flagitat ista sacris.
Non solùm in sacris videantur vt ædibus esse,
Sed faciant tali, quæ facienda loco.
Quod quia non faciunt, passimq; vagantur iniqui,
Quem sic non adeunt, nec reuerenter amant.
Tertia, maiores ipsis veliure vel annis 3
Sic habitu toto corporis excipere Maiorum
Vt tales homines qui tam reuerenter honorant, reuerenti
Hinc discant humili corde timere Deum
Nascitur ex ista pietas radice, metusque
Offensæ, & verus religionis amor.
Ergo quando semen cernet petulantior ætas,
Ante oculos positum credat habere Deum.
Sanctus namque senex patris est cœlestis imago,
Quem tibi honorandum præcipit ipse Deus.
Inde tibi exemplum vitæ, morumque bonorum,
Quod tibi proponet sana senecta, petes.
Hæc elementaris veri doctrina timoris
Quæ generis nostri corda superba domat,
Quando igitur caluum pueri illusistis Elisæum,
Vltrix contempti non fuit vrsa senis? 2 Reg. 2.
Quique senem coluit, licet imprudenter honestum,
In quanto Samuel paruus honore fuit? 1. Sam. 3.
Erga senes annis, & multa ætate verendos,
Vt bonus euadas ipse, verere puer. 4.
Proderit & quartò multum ad pietatis amorem. Schola.
Semper & assiduum in talibus esse locis,
Vnde pios morum succos haurire valebit,
Et metus obsequium dulce magister alit.

Has schola virtutes pueris præsentibus offert,
A qua quisquis abest sæpe, nocenter abest.
Vix credas quantum noceat puerilibus annis
A matre absentes sæpius esse schola.
Et quantum pereat sperato êfœnore, si vel,
Doctrina studium, vel pietatis erit.
Nã qui adsunt præeunt, quos vix cõprenderis vnquã
Quisquis, quando alii multa docentur, abes.
n lib. ri pæd. 1. *Et vetitum antiqua Persarum lege doceri*
Publicitus, cui non semper adesse vacat.
Sed magis officiet pietati, quisquis amabit
Improbus à Domina multus abesse schola.
Excutiet cervice iugum, dum lubricus errat,
Decussoque iugo decutit inde Deum.
Quippe Deum vt metuat crescens infantia, debet
Virga impendentis flagra timere prius.
Audebunt aliqui virgis indicere bellum,
Indignumque scholis exibilare metum.
Sed solet hic error nugas producere. Namq;
Virga vox puero concio magna malo.
Quem lenis improbitas agitat, cum sentiet ictus,
Tum solet intenta fauce vocare Deum,
Quem prius haud vnquam meminit, tũ sedulus orat,
Atque precatorem poscit habere suum,
Impetret vt veniam, vel saltem vt leniat iram
Virga minax, mentis vera Magistra piæ.
Pœna viros plectit sceleratos publica, quidni
Audebit pueros plectere virga malos?

Cum

Cum ſchola, quæ pueros producit multa modeſtos
Sæpe inter miſtos lugeat ire malos?
Non minus atque ſuos damnat reſpublica fures,
Perpetuo multis ciuibus aucta bonis.
Vt vitii ſit pœna comes, ſeu grandior ætas,
Seu fuerit tenero iunior ore puer.
Ergo ſcholæ interſint pueri, metuantq́; magiſtros:
Nam patris æterni naſcitur inde metus,
Vnde mali puero quantum pater inſcius affert,
Vel quicunq́; huius cauſa furoris erit,
Cum patiatur eum, quaque ſeſe offerat anſa,
Deſerta indultat vanus abeſſe ſchola?
Singula quid memorem nulli cedentia linguæ?
Vnum addam, vnde puer naſcitur eſſe pius.
5. Verba pios produnt, exhalant verba mephitim,
A lingua caueat, qui volet eſſe pius. 5. Sermo familiaris.
Qui colit ergo Deum, caſti ſermonis amicus
Theſauros habeat ſemper in ore ſacros.
Vnde liquet, quis ſit purę bonus incola mentis
Qui non eſt alius, quam bonus ipſe Deus.
Vnde ſalus, vita vnde, boni illis, vnde parentes,
Vnde boni meſſem vel ſine falce metent.
Si pia verba pia reſerabunt oſtia mentis,
Nullus & in duplici pectore fucus erit.
Quid contrà ſperent pueri, q̃ eis ſemper in ore
Non qua deberet cum pietate Deus?
Sed qua dedecorant illum cum pietate prophani
Accito in vanum ad ſingula verba Deo?
Vel qui ſpurca ſolent, & fœda euolutare verba,

Prodentes fontis tetra fluenta mali?
Cuius flagitii causa est prouectior ætas,
Exemplo infirmis ausa præire malo.
Maxima debetur puero reuerentia, quando
Vel facere audebis, vel leuiora loqui.
Nam veluti ad turpes exemplo ducitur actus,
Fertur ita exemplo ad turpia verba puer.
Vt puer ergo pius fiat, media ista sequatur,
Illum qui curat, vel cupit esse pium.
Sic solum agnoscit, qui se solum indicat, & cui
Omnes debemus, quod summus, esse Deum.
Q. Quod satis est primi mandati intelligis, & nunc
Proxima lex lucem poscit habere suam.
R. Non vllum facies tibi sculptile. quod venerere
94 *Cuius cuius erit forma creata rei.*
ndatum
ndum. *Sed neq; res ipsas sacro venerabere cultu,*
Quascunq; immensi circulus orbis habet.
Imperiosa Dei vox cætera cuncta creauit,
Hinc soli cultus conuenit omnis ei.
Qui quia spiritus est, oculo neq; cernitur vllo,
Debetur cultus spiritualis ei.
Qui vidisse Deum poterit se dicere, fingat.
Vt nobis nostri constet imago Dei.
Sed neq; qui vidit, quisquam vlla ætate repertus,
Vnde nec illius forma liquere potest.
Quin & in Horebo, cum lex Mosi ista daretur,
Vox audita Dei, visio nulla fuit,
Vnde sacrum Domini reuerentia maxima verbum
Quæ sacri cultus regula sola, docet

Vera

Vera Dei, & sola est semper viuentis imago
Qui sanctè, & iustè viuere gaudet, homo.
Quem cernens oculis illum meditare colendum,
Qui tam clari operis nobilis autor erat.
Nec tamen humana se vult sub imagine fictum,
Sed solo sancta mentis honore coli.
Qua quo sanctior est, propius sese applicat illi,
Quemq́, videre nequit corpore, mente videt.
Hunc igitur venerare tuum patremq́, Deumq́,
Quaque sui cultum præcipit ire via.
Cætera ne venerere, vetat, qua ne venerere,
Omnino satis est, sic vetuisse Deum.
Si contra facies, multos te ducta per annos
Pœna, vt parentem præmia multa manent.
Q. In genere hæc fateor, quæ dixti, vera, sed illa
Qua pueros spectat conditione, doce.
R. Quandocunq́, puer lusum sectabitur vllum,
Siue rei alterius sic studiosus erit.
Ne non interfit sacris, sed deuius erret,
Cum sancta officii cura vocabit eum,
Illud, quo rapitur maie sanus, seu trochus ille,
Siue trocho peius, non habet ille Deum?
Non habet vt Dominum, Domino quod iniquior audet
Præferre, & rebus facta prophana sacris?
Quando igitur vel sacra vetant templaria lusum,
Vel res vlla pium postulat officium,
Qua placuere tibi prius, omnia linque, Deoque,
Officium præsta sedulus omne tuo.
Quod quia non faciunt pueri lusumque sequuntur,

Quando

Quando ſtudet rebus cætera turba ſacris,
Pro ſtatua luſum ſtatuunt, idola colentes,
Dum ſummo anteferunt ludicra vana Deo,
Quod ſi aliquid luſu peius tum fortè ſequentur,
Illud pro vero numine peius erit.

2. Tertia lex ſequitur pueros hæc omnia ſpectant,
Quos niſi frena regant, cogere pœna poteſt.

R. Tertia Cura Deo venerandi nominis, illud
In vano aſſumptum pœna, minæque manent.
Nam Deus interni iudex fandi, atque nefandi,
A ſecreta homines impietate vocat.
Cuius ſi nomen ſic ſit iurantis in ore,
Nullus vt inde malis terror adeſſe queat,
Quid ſceleris non confeſtim, vtiique ſequetur,
Cum contemnetur, quod vetat eſſe malum.
Inde prophananti nomen mala quanta minatur,
Cui nullum ſpreto vomine numen erit?
Hinc toties ſanctum ſcriptura ſacerrima nomen
Commendat, mores ſic alitura pios.
Hinc tremor auditu diuini nominis, hincque
Omne genu flexo poplite ſeruit ei.
Hinc puer in patrias iurando pronocat ædes
Impius irati fulmina iuſta Dei.
Hinc non indocum maius, non certius vllum
Innatæ pueris improbitatis habes,
Quam quando fuerit paſſim iurantis in ore,
Et vanum, & vacuum nomen honore Dei,
Quiſquis enim nomen temerè eiaculabitur illud,
Non poterit recto corde timere Deum.

5 ndatum um.

Namq;

Namque Deum recto trepidus si corde timeret,
Lingua etiam cura proderet illud idem.
Cum lingua interpres sit mentis, nunciaque eius,
Impia si lingua est, cor nequit esse pium.
Inde domi pueros plagæ, colaphiq; sequuntur,
Inde scholæ tristes verbera sæua sonant.
Quod si in vtroq; loco virgæ sit parcior vsus,
Deberet certa crebrior esse fide,
Præcipuè Domini cum res cœlestis agatur,
Vtq; Deus pueri purus in ore sonet.
Quam quoniam auertit sæpe indulgentia matrum,
Sæpè magistrorum dextera lenta nimis.
Ignorant miseri, siue ignorare videntur,
Quanta suis pariant tempore damna breui.
Namque scelus sceleris fit tristis pœna: nec vllus
Virtuti in scelerum fertilitate locus.
Quo vitio nostri pueri sic vndiq; sordent,
Sic quisque impuro detonat ore Deum.
Seu media explorare via, quia luditur illic,
Siue domus patria tecta subire voles,
Vt nihil in toto mage formidabile regno,
Nil magis iratum prædicet esse Deum,
Quam male corruptis pueros sic moribus esse,
Diuinum vt nullo nomen honore colant.
Immò, vt contempto sic nomine, clarius ipsa
Luce probent, se non esse putare Deum,
Vel si forte putent, horrendam spernere pœnam,
Quæ comes est spreti nominis, atque Dei.
Quod vitium in pueris qui percipit aure, dolebit,

Sed

Sed qui castiget verbere, rarus erit.
Hoc scelus exemplo maiorum augetur, in ore,
Quos lacerum Christi corpus habere iuuat.
Vt quod ad humanam bonitas diuina salutem
Induit, hoc nostri sit noua causa mali,
Et mortem reuocet, quam tunc auertit Iesus,
Cum fiat assumpto corpore factus homo.
At tu illud corpus, quod pro te vulnera mille
Pertulit, audebis sic violare miser?
Illud cor pro te transfixum militis hasta,
Vnde calens misto sanguine fluxit aqua,
Brachiaq; illa crucem pro te subeuntia tristem,
Membraque crudeles cætera passa manus.
Quando prophanabis scelerato perfidus ore
Cœlesti accensas spernis in arce faces?
Si quis nobilior fortuna, aut sanguine, nullum
Indicium maius nobilitatis alit:
Quam Christũ lacerare Deũ, & blasphema crepare
Verba, quibus cælum despuit, atq; solum.
Vt Christi carnem, quæ nobis tessera vitæ,
Mortis materiem fecerit impietas.
Militiæ splendor magno iurare beatu,
Quæ mihi res bilem mira ciere solet.
Proximus est morti miles, quia semper in armis,
Nescius incertam qua ferat hora necem.
Et tamen, ac si omnis spes vitæ exuta perennis
Esset, blasphemo prouocat ore Deum.
Et cum solus ei Christus vexillifer, illi
Discerpũ miris membra reuulsa modis.

Cui

Cui debet vitam, partumque ex hoſte triumphum,
Sanguine qui ſtatuit noſtra trophea ſuo.
Cumque ipſi immineat præſens mors omnibus horis,
Soli deberet viuere totus ei.
Vt poſita hac vita cum Chriſto viuere poſſet,
Inter Cœleſtis agmina militiæ.
Quod miſer auertit, dum peius ſauciat illud,
Quam pupugit pectus militis haſta ſacrum.
Sed neque mercator venalem extrudere mercem,
Ni miſerè iuret, ſe quoque poſſe putat.
Hinc, vbi res venum datur vlla, prophana tabernis
Iuramenta docent interiiſſe fidem.
Vt iam nulla fides, niſi perfida lingua prophanet,
Illud dignum omni nomen honore, Deum.
Quæ tamen hinc malefida fides, quia ſe male fidem
Spirat, qui impuro ſperat ab ore fidem.
Sed ſi quæſieris, quiſnam prudenſque ſcienſque
Gaudeat in vetitum nominis ire nefas,
Inuenies illum furcaſque cruceſque mereri,
Qui falſo caſſos ore reuendit aquos,
Conſcia ſacrilega iurans mendacia lingua,
Si reliquos omnes enumerare velim
Exemplo quorum puerilis læditur ætas,
Aures obrueret denſa caterua tuas.
Illa domos peſtis, regnumque miſerrima totum
Occupat, illa lues creditur eſſe iocus.
Hæc ſunt quæ pueros à primis impia cunis
Exemplo inficiunt condocefacta malo.
Hinc formido mala cladis ſubit, hinc fera bella

Intentat

Intentat læsi dextera iusta Dei,
Ni pueri in melius renouentur, vt inde patere
Possit, ab infami nos rediisse malo.
Quomodo enim poterit respublica nostra salutem
Sperare, aut cœlum mitius esse malis,
Cum corrupta boni passim sic semina cernat,
Vt messem maneat nulnisi certa lues?
In vanum variè nomen male sumitur illud,
Sed nullo penitus deteriore modo.
Vt quoscunque vocat puerorum cura, monendos
Esse putem, pestem hanc stirpitus eruere.
Sic meritam auertent offensi numinis iram
Sic vitæ in pueris spem melioris alent.
" Nomen honoratum terreni spernere regis
" Ausa dabit pœnas improba lingua graues:
" Et violare Dei nomen supra omnia sanctum,
" Ausa dabit pœnas impia lingua leues?
Q. Omnia quæ dixti: fateor verissima: iam te:
Mandati quarti regula sacra vocat.
16 *R. Sancta loco Dominus cõmendat sabbata quarto*
andatum *Quo nostrum nobis omne vetatur opus.*
artum. *Vt cum fas nobis sit solum operarier illud,*
Quod fieri sacro præcipit ore Deus.
Tunc animi studio, tum cultu corporis illi
Seruire, & soli nostra vacare decet.
Cætera quæ nostrum vigiles operamur in vsum,
Illicita violant sabbata sacra manu.
Hinc inuncta quies opera, quæ quando vetatur,
Quod mala sit cernit, qui vetat esse malam.

Exem-

Exemplo Deus ipſe ſuo ſua Sabbata ſanxit,
Sex proprium claudens omne diebus opus.
Contra hoc mandatum pueri peccare videntur,
Si ludant alibi, cum loca ſacra vocant.
Cum neq; vox, neq; vis, neq; patrum exempla piorum
Efficit, vt ſacris rebus adeſſe velint.
Vel ſi aliud quid agunt, ne peccent omnia luſu,
Quod minus admitti ſabbata ſacra volunt.
Quos ideo à teneris prudens pater exprimat annis,
Dum facile ad flexum præbet origo malum.
Flectitur in molli ſuccreſſens palmite planta,
Arboris ad titulum nacta rebellis erit.
Vt teneros à culpa animos hic vindicet illud,
Quod præfectorum cura remiſſa nimis.
Nam res illa grauem ſolido cum verbere pœnam
Exigit, vnde mali copia tanta fluit.
Si vitia in pueris non eſſe frequentia ſcirem,
Non toties pœna mentio facta foret.
Sed cum crebra ſciam, tumq; extirpanda, minaces
Cum virga metuunt robora parua ſonos,
Idcirco toties contra iſtos illa furores
Ingemino, vnde malis pharmaca nata ſcio:
Et quis non malit puerum plorare, parentem
Quam ſua cum lachrymis fata dolere ſenem,
Quod fiet, niſi ne doleat, prauiſa cauebit
Pœna, locus venia cum minus aptus erit.
Vt puerbs reuoces, non eſt res ardua, ſi ſint
Propoſito audebunt qui reuocare metu:
Atque inſtent operi: & peccantes ſæpius, vrant,

Nam-

Namque facit facimus crescere tarda manus,
Proderit interdum mulcens clementia. Verum
Hæc pueros paucos ducit, eosq; bonos.
Sed quoniam improbitas multo munerosior, ergo
Rarior est vocis gratia, pœna frequens.
Quique bonam populo legem describet, eandem
Ad mala prudentem plura referre decet.
Vnica nulla feret tibi vernum tempus hirundo
Nec legem pueris, si bonus vnus erit.
Vt colat ergo puer mandantis sabbata cœli,
Texitur vnde animi fascia prima pii,
In templo ante oculos, ipsorumque ora parentum
In descripto illi conuenit esse loco.
Vt discat seruire Deo, obseruare parentes,
Imponat que animis mollia frena feris.
Ipsi quippe Deo in templis est regia sedes,
Reg. 8. *Hic puerum ante oculos adsit, an absit, habet.*
Hinc audire preces: hinc assentire roganti,
Supplicibusque solet ferre rogatus opem.
Tuque puer Domino tam charus, cuius in ore
sal. 8. *Fundamenta suæ laudis inesse cupit.*
Cuius in aspectu tuus Angelus astat, vt ipsi
Mat. 18. 20. *Commendet supplex teque tuasque preces.*
Qui soli promittit ei magni atria cœli,
uc. 9. 48. *Qui puerum puro corde referre volet,*
uc. 18. 17. *Aspectum fugies tam chari patris, in æde*
Quem tibi præsentem cernis adesse sacra?
Cum morbo premeris, cum mors inuisa minatur,
Contemptus lachrymas audiet ille tuas?

Quanam

Quanam fronte potes spretum bona poscere patrem,
Aut petere auerti, quo potes ore mala?
Idcirco puer à templo, cum sabbata poscent,
Nolito, & rebus sunus abesse sacris.
Arripimus lusum faciles. cum sabbata lucent,
Sancta quasi ad lusum sabbata nata forent.
Queis diuini operis meditatio proprius usus,
Nos laudare docens, atq; timere Deum.
Qui quanti faciat sua sabbata, nos docet inde,
Sanctum iumentis quod velit esse Diem.
Vt defessa prius, & sex operata diebus
Respirent, quando septimus orbis erit.
Quod si cui placeat pueros tum ludere, ludant
Sed post autori prestita sacra Deo.
Et loca ludentes sibi quærant illa, molesti
In quibus haud sint iis, quos sacra tarda tenent.
Atq; ita non nimia ludant mercede, nec ipsum
In lusu irritent, commoueantq; Deum.
Si nimio ludant, ipsorum est culpa parentum,
Qui natis nummos suppeditare solent:
Vel sibi surreptos celant, dum ad furta suorum
Conniuent stulti, supplicium q; fugant.
Quanta lues pueris? quam tetra est pestis? habere
Quo foueant lusus vile numisma suos?
Maxima pernicies impensa pecunia: cuius
Vsus eis vitæ turpis abusus erit
Quantum inde examen scelerũ prorumpat, habere
Qui vult, communis vita docebit eum.
Cui semel insucrunt, nolunt desuescere, inani

Nec credunt loculo triſtius eſſe malum.
Quas non audebunt fraudes tentare furentes
Expleat vt ſacram parta moneta famem?
Qua vel res nihili coëmant, luſuue relicto,
Mercentur ventri noxia poma ſuo
Quò medicos ditent, vexent mœrore parentes,
Cætera ſi memorem, nania grandis erit.
Eſt minus hoc ipſo conſumpta pecunia damnum,
Intra priuatos docta manere lares.
Si iurent commune malum teſtantur, & ipſum
Quod ſæuo vltorem prouocat igne Deum
Sic igitur ſeruanda tibi ſunt ſabbata patri
Vt ſupplex tribuas omnia prima Deo.
Deinde tibi, ſed ita, vt reſpondeat illa quietis
Cura tuæ curæ, quæ ante tributa Deo.
Hac luſus templo ſimilis: laudatus vterq́,
Hac pietas victrix: hac puer arte bonus.
Cui tamen, at minimè ſoli (quia ſæpe parentes
Illud idem peccant) illud obeſſe ſolet.
Quod, quo tota ſolet vicinia iure vocata
Confluere hinc etiam diſcat abeſſe puer,
Dum zelo patris nimio, matriſue citatus
Moriger ad quæ non templa vaganter abit.
Verum quiſquis erit, leuitas quem tanta rapaci
Abſtrahit incenſum ad templa aliena pede,
Neſcius ignorat, quantum ſibi mobilis obſit,
Quamque ſit vtilitas figere magna gradum.
Et quicquid contrà ratio Zeloſa ciebit,
Eſt patria legi inſueſcere grande lucrum.

Et plus profuerit mediocri incedere paſſu,
Quam diducta auidum fauce referre canem.
Præterea illum omnis vicinia læta ſalutat,
Quem ſecum in templo cernit adeſſe ſuo.
Quæ res plus prodeſt in proximitatis amore,
Quam titillata gratus in aure ſonus.
Sed patriæ leges poſſunt errare: ſed vni
Sæpius in rebus pluribus error ineſt
Qui ſemel errorem falſum ſi cœperit vnum,
Ingenti fœtam ſtirpe propagat hydram.
Noſtra hodie, vnde Deo debetur gratia noſtro,
Patria ſe veram nouit habere fidem.
Vt nemo dubitare queat, doctrinaue vera
Quam docet in cœtu concio noſtra ſuo.
Ni læſo cerebro nondum ſibi conſtet, & intra
Cancellos nolit cum ratione regi.
Sed ſibi vel nimium tribuat: vel præferat illa,
Quæ procul a patrio nata feruntur agro.
Vnde oriens patrii moris contemptus in ipſo
Inſtabilis nutrit pectoris ingenium:
Vnde neque ipſe ſibi patriæ neq; commodus, vt cui
Externi ritus irrequietus amor,
Iudicium excuſſit rectum, faciatque venenum,
Quicquid ventriculus ſic mala læſus auet.
Hæc idcirco decet patres cura, atque magiſtros,
Vt ſeruent pueri ſabbata ſancta bona.
Cura eadem Dominos, quæ patres vrget, in ipſis
Quippe par empticiis multa ſecanda patent.
Deprauantque tuos exempla domeſtica natos

Si famulos habeant patria tecta malos.
Ergo debet herus famulantum aduertere mores,
Vt proles illi ſanctior eſſe queat.
Sic & herus fiet bonus, & pater haud malus, & ſic
Ædes pro ſacra computet ede ſuas.

17 ndatum ntum.

Q. Iam te ſacra vocat mandati regula quinti
Poſt concluſa patri debita iura Deo.
R. Quinta parentalem nobis iniungit honorem,
Longa quod officium vita beare datur.
Nec ſolos ſentit, qui nos genuere parentes,
Sed quos lex nobis vlla praeſſe iubet.
Vel qui ætate graues annis mereantur honorem,
Quorum canicies veſtit honeſta caput.
Quos Deus ipſe, pater, qui vere eſt ſolus, honorat,
Dum patrio ſecum nomine donat eos,
Et iubet, vt ſimili ſecum doneutur honore,
Vt qui ſpernit eos, priuet honore Deum.
E quibus illorum eſt vel multo maxima cura,
Qui nomen generis iure parentis habent.
Quos natura parens ſic vult educere fœtus
Ne melius ſit eis, non genuiſſe ſuos,
Quam non ad pietatis eos, morumque bonorum
Omnibus officiis inſtituiſſe decus.
Horum opera efficitur, nequid vitioſius extet
Intra terrena patria tecta domus:
Ne contracta domi labes mala moribus obſit,
Quam non vlla ſchola lympha lauare poteſt,
Neu ſchola credatur vitioſos gignere mores,
Queis ipſas vitiant patria tecta ſcholis.

Vt matutinus de lecto ſurgere cogar,
Neue ſcholam ingrediens tardus abire velim.
Vt bene veſtitus, lotus faciemq́, manuſq́,
Coram ipſis flexo poplite pauca precer.
Vt mihi ſic læto benedicant ore parentes
Quæ cura in pueris ſpreta nocenter obeſt.
Quippe Deum verè nemo venerabitur, à quo
Neglectum patrii nomen honoris erit.
Vt menſæ accubitum præcedat gratia, neue
Poſt ſumptum ingrato fas ſit abire cibum.
Vt, ſi poſt cœnam iubear quid ſcribere, ſcribam,
Nec mediter ſomnum peruigil ante preces.
Vtque diem ſimili claudam ratione, parentum
Nactus ab inflexo verba beata genu.
Vt neque me teneant, nec inepta negocia fingam,
Cum me à diſcendo ludus abeſſe vetat.
Vt neque mater amans nimium nimiumque laborans
Polluat induitu, quem fleat ipſa, ſuo.
Vt quoties occurro, viris ætate verendis,
Præcipuè quorum cognita forma mihi,
Pileoloq́, caput nudem, petaſone, genuq́,
Inflexo, ac læto frontis honore probem,
Me puerum ingenuum, ingenuiſq́, parentibus ortum
A primo eductum moribus vngue bonis.
Nec ſtem inſtar pecudis brutæ, defixus in vno
Obtutu, quando præterit vllus homo,
Cui debetur honos capiti & contectus aperto
Prodam barbariem ruſticitate meam.
Quod vitium noſtros pueros ita turpiter ornat,

Vt, qui educit eos, dedecoretur eo.
Et plane doceat sic inciuiliter actos
Credere nullius ponderis esse Deum.
Qui teneros animos, vt se reuerenter honorent,
Præparat è cultu liberiore senum.
Pluraq; præterea, quæ particularia poscunt
Tempora, vel vitæ regula vera monet,
Prætermitto sciens nostros spectantia mores,
Quorum erit in patria cura tenenda domo.
Quæ Deus oro meis infunde parentibus, vt me
Educet in laudem patria cura tuam.
Quæ bene si teneant à te præcepta parentes,
Præceptoris erit sollicitudo minor.
Cuius cura statas me cogere semper ad horas,
Cum me præsentem poscit habere schola.
Vt precibus claudam studia, incipiamque, modesto
Sedulus, atque silens dum precor, ore precans.
Selectosq; meis annis proponere libros,
Seu bene me cupiat viuere, siue loqui.
Si quid in his libris, quos linguæ gratia nobis
Commendat, mores, quo vtientur erit
Corrigere ad legem scripturæ cœlitus ad nos
Demissæ, & Christi propria iura tui.
Denique cum teneras corrumpant otia mentes,
Illud in officii parte putare sui:
Vt nunquam cessare sinat, sed semper agendum
Tradat eis aliquid, nec metus vllus erit,
Ne nimio oppressi succumbant pondere, quorum
Lubrica non vllum vis graue sentit onus.

Hæc

Hæc mihi si per eos concedas, perque parentes
Corpore mundus ero, pectore purus ero.
Iam quia natura pueri malè labimur omnes
Sæpius in pœna facta luenda graui,
Et tibi peccatum, quando illos vrimus, à te
Qui nostris studiis præficiuntur, erit.
Ne me impunè sinas vitio corrumpier vllo,
Quod schola, quod populo plena platea notet.
Interea tamen hoc supplex contendo, magistri,
Qui sumit pœnas, vt moderere manum.
Ne vel parca nimis, vel sit numerosior æquo
Correctrix culpæ nescia virga meæ.
Quo melior fiam plagis contentus, & ægrè
Cædi non patiar, qui merito patior.
Ne culpam minuens, pœnam mentitus, & augens
Sic materna graui lumina nube rigem,
Vt cito dissiliens, & crimine turgida falso
In præceptorem spicula sæua vibret,
Quæ ratio non vlla potest, prudensue maritus,
Id propria quamuis fulminet ille domo,
Vel prece vel precio, suasue retundere, dones
Mutata indoctus cogar abire schola.
Qua non est pueris res perniciosior vlla,
Quam sæpe ad varias ire, redire scholas.
Quem morbum infœlix producit copia, & auget,
Vrbis enim est plures morbus habere scholas.
Pro numero capitum plures vrbs magna requirit,
Sed plures, capitum morbus obesse facit,
Cuius causa mali solet illa frequentior esse.

Qua ferit innocuum noxia culpa caput,
Et præcedentes quæ peccauere magistri,
Sæpius in pœnam posterioris eunt.
Vt mihi in hoc cursu videatur (nam tibi sensum
Mi Deus, in causa hac credo placere meum)
Consilii hæc prorsus ratio optima deliget cautos,
Cui te commendes, filiolumque tuum,
Delectum mutare cane, nisi nolit amicè
Errorem monitus corrigere ipse suum,
Si quis erit: pueri nam falso sæpe queruntur,
Præcipuè blandi si mala mater erit,
Sin velit, agnoscatque gradus sistendus in illo,
Ne vertas lapsu deteriore vicem.
Ad quid, si tuus error erit, non vlla magistri
Culpa, quod euentu cernitur esse frequens?
Non citus errorem reuocabis? non cito causam
Excuties, per quam natus hic error erat?
Et natum pater ipse tuum patieris abire
Impunè, vt falso crimine victor ouet,
Si modo comperies mentitum? ne mihi iusta
Infligi cuperem verbera mille manu,
Si quid mentitus reperirer, vt inde parenti,
Et præceptori iurgia sæuia darem.
Qui si coniunctis animis concordia gestent
Pectora, erunt studiis vela secunda meis.
Vtq; precor supplex tibi cum commendo parentes,
Sic præceptorem, mi Deus, oro regas.
Vt me sic doceat, sic sanctis moribus ornet
Cultorem vt faciat nominis esse tui.

Denique

Denique quicquid agent, qui me genuere parentes,
Vel qui doctrina, & moribus erudiunt,
Exemplo præeunte iuuent, & ad optima quæque
Deducant greſſus integritate ſui.
Sic iuſtus tribuetur honos, vtrique parenti,
Mandatoq; tuo, promeritoq; ſuo.
Sin erret, peccetque parens, nec, quod, imperat æquum,
Curet, vt in ſanctis moribus erudiar.
Credo tamen non eſſe meum contemnere, cuius
Mandato Domini ſic ſtabilitur honos.
Illud idem ſtatuo de præceptoribus, atque vt
Quiſque mei curam debet habere ſtatus,
Illorum errores Domino permittere, at ipſos
Sic colere, vt iubeor patris ab ore Dei
Vltima cura mihi eſt de me, ne negligar à me,
In tanta iſtorum ſedulitate malus.
Quod fiet, niſi primæuam tua gratia ceram
Fingat ad arbitrii mollia iura tui.
Vt faciam, quæcunque mihi facienda dabuntur,
Et fugiam, quæ ſunt defugienda mihi.
Vt, quia te agnoſco ſolum (pater optime) fontem,
Vnde mihi, vnde meis profluit omne bonum,
Et ſcelerum vltorum, quæ perpetrabimus acrem,
Te colere, & pura mente timere queam.
Vt, ſi quid peccem contra mandata parentum,
Vel præceptoris iuſſa ſeuera mei,
Contra te fieri agnoſcam, gemituque dolorem
Teſter, ſic Domino diſplicuiſſe Deo.
Vt, cum plena ſuo progreſſu accreuerit ætas,

Vox mea sit laudis buccina plena tuæ
Hæc ego, dum gemini percurro parentis honorem,
Sic percensebam discutienda mihi:
Vt quis honorandus constaret, tum quis honorans,
Cuique suus capiti quo tribuatur honos.
Q. Gratulor hanc mentem tibi, nec despero futurum
Quin idem castis moribus esse velis.
Sic etenim implorare Deum, testemq; ciere,
Indicio est hominem te cupere esse pium.
Atq; magistrorum curam, studiumque parentum
Monstrati, unde illis competit æquus honor,
Sic quoque prefectos, qui publica munia tractant,
Vel qui priuatim propria tecta regunt,
Ad similem inuitas similis virtutis honorem,
Inque suos similes moribus esse cupis.
Quod quia credo tibi persuasum fortiter: opto
Edoceas, quidnam regula sexta velit.
R. Sexti cura loci de sanguine præcipit, vt ne
Iniusto madeat fœda cruore manus:
Quem Christus patris interpres conuitia tollens,
Quæis ruit in tristem sæuior ira necem,
Sic exponit, vt a sacris illum arceat aris,
Qui fratri discors audet adire Deum.
Quin & peccatum hoc pueros non deserit, in quos
Iurgia sæpe, sed & vis aliquando cadit.
Si vis in eadem proruperit, impetus ille
In nerium crumpet, conficietq; duos.
Præter & humanam, quæ per suspendia, pœnam
Exagitat causam sanguinis ira Dei.

Qui

Qui ferro petitur, petitur quando eius, imago,
Cuius ad effigiem factus Adamus erat.
Iam quia teste Deo cædis sunt iurgia causæ,
Quæ bilem moueant verba, cauere decet.
Quæ vel prima solet proferre superbia: quando
Vel sanguis, vel opes, literulæue tument,
Vel lis in lusu, vel falsa calumnia mordet,
Conflatura odium suppliciumue alius.
Quæque serunt inter concordes prælia fratres
Qualia multa solet prauus amare puer,
Vt charum videatur eum, quem instigat, habere,
Et vanas grates stultus inire queat.
Quæque domum falsa patriam suadente querela
In flammas rabidæ seditionis agunt.
Dum pater in famulos, vel in ipsum concita patrem
Inflato mater gutture probra iacit.
Denique quicquid erit quo mors, morti'que sorores
Mendaces linguæ dira venena vomant:
Illud idem pueris in molli ætate cauendum,
Quod matura ætas exitiale videt.
In quo sæpe solent stulti peccare parentes,
Inque suis illud grande fouere malum,
Dum litis socios patriæ, rixæq́, furentis,
Participesque suæ bilis habere volunt.
Vel, dum scire volunt quæ pulsa pace ciuntur,
Ad delaturam stultius eruduint.
Q. Hæc vt & illa priora probè per singula cernis,
Septima iam legis regula lucis eget.
R. Illa verecundi custodia casta pudoris

Manda
septun

Cor-

Corporis atque animi claustra pudica cupit
Ne pueri admittant ea, quæ admisisse pudebit,
Conscia cum tepidus tinxerit ora rubor.
Hæc etenim in pueris mœchatus, siqua patrabunt,
Esse quibus poterit læsa pudicitia,
Quæ quia vix fas est vel solo nomine nosci,
(Nam castos animos nomina casta decent,
Quique fugam impuris vitiorum suadet apertè,
Illa videt fieri, quæ fugienda monet,
Hæc illa ingenii improbitas, quæ noscere gaudet
Quod vetat esse malum, quo sciat esse malus)
Sit satis ergo semel monitum: quò incendia vites
Scintillam vitæ, quæ male fota cremat.
Vnde amor infami sese pretexere cultu
Audet, & obiecto melle venena tegit,
Et pueri incurrunt in crimina sæpius illa,
Queis nesciuerunt crimen inesse rudes:
Hinc & adulterium, & stupri insatiata libido,
Virtutisque hostis tetra cupido piæ
Fit comes ætatis prouectæ, inuitaque cedit
Pulsa loco, à primo quæ fuit vngue comes.
Hinc Deus in sacris ita cedit adultera libris
Pectora, ceu scatebram, proluuiemque mali,
Qua pollutus homo, & turpis prurigine carnis
Fœdat sinceræ religionis aquas.
Idcirco Deus orandus de pectore puro,
Vt largiri etiam corpora pura velit.
Quod sine eo corruptus homo præstare nequibit,
Cui natura placens inserit ipsa malum.

Q. Iſta piè, & ſaluo puerorum dicta pudore
Quæ curanda magis, quo magis illa tegis.
Legis at Octaue, quæ furto indicere bellum
Imperat, ad ſe iam norma venire iubet.
R. Quæ duo proxima ſunt mandata, latentia furta
Et falſi teſtis noxia verba vetant.
Et propriè è vita noſtra mendacia tollunt,
Quæ patre nata malo ſunt odioſa bono.
Nam furtum faciens facto mentitur, vt ille
Verbo, qui falſi teſtis iniquus erit.
Verum furta prius, quæ ſpe caliginis aucta,
Et tandem lucem nacta necare ſolet.
Dum puer occultat nunc fallit fraude parentes,
Nunc ſocios, vel quoſcunque latenter adit.
Vt ſic mercetur, quæ ſunt placitura palato,
Vel luſu perdat, quæ male parta malo.
Huic eſt mandato nimium capitaliter hoſtis,
Viſcatas puero quod vetat eſſe manus.
Hinc ſchola ſurreptos queritur commota libellos
Et dolet in pueris triſte tyrocinium,
Quinctiam patres, vbi eis res cognita, tales
Pectore iacturas impatiente ferunt.
Dum redimit veteres, vel ſi reperire nequibit,
Cogitur ad ſumptus parca crumena nouos.
Cum pueris libros ſubductos nomino, ſolos
Nolo, ſed quicquid ſurripietur e is.
Si violenta etiam queuis iniuria fiet,
Qua non iure ſuas in ſua vertit opes,
Subiacet hinc legi, quæ vult ſua quemque tenere,

20 Mandatum octauum.

Dextera

Dextera quæ Domini iusta tenenda dedit,
Hoc vt turpe malum pueris, sic inde fouetur,
Quod sint qui precio talia furta cient,
Vt paruo coemunt, quod magno constat, alantque
Tandem aliquando malam furta datura crucem.
Cura magistratus nisi publica puniat istos
Emptores, furti flebile semen alent.
Quod Deus extirpare volens ita præcipit, vt ne
Tanto vlla parcat conditione malo,
Ne si contemnat Domini mandata iubentis
In caput accersat verbera iusta suum.
Q. Altera pars superest vocis mendacia tollens,
Quam sacræ legis regula nona docet.
R. Quam sit res ædiosa Deo fallacia linguæ,
Quæ falsi insontem testis ab ore premit,
Declarat vindicta Dei, cum testis iniquus
Afficitur mulcta, qua petit ipse reum.
Vt proprio, si non alieno percita damno,
Veracis linguæ debeat esse fides.
Sæpe monet pueros falsum testarier, vt sic
Non bene cautorum sint in amore patrum.
Sæpe odium illorum contra quos ire iubentur.
Cuius causa odii digna fauore fuit.
Cum puer impurus sceleratum admittere crimen
Audet, ni celet conscius, odit eum.
Sæpe iocum, lud-mque putat socialia iura
Mendacem in media fallere posse schola.
Sed res est odiosa malis insuescere rebus,
Morbus enim fiet, qui fuit ante iocus.

Et

Et quæcunque docent pueros mendacia causâ,
Siue placens aliis gratia, siue iocus
Siue odium iniustum, quia verum euertere quærunt,
Quod summum in titulis, nominibusq; Dei,
Indicunt Domino bellum, falsumq; profesſe
Mendaci linguæ debita flagra petunt.
Vtq; Dei mendax veracis prouocat iram
Sic facit ipſe, ſibi ne ſit habenda fides.
Præterea miſeram torquebit conſcia mentem
Lingua, recordantis impia verba viri,
Per quæ fraude mala teſtantis concidit inſons,
Cui Deus vltorem porrigit ipſe manum.
Et feriet falſum teſtem, linguamq; doloſam
Vret inextincta flammeus igne ſitis.
Quando viri teſtes adhibentur, falſaque iurant,
Vrgent & grauius, deteriuſq; reos,
Quam quando pueri cauſis leuioribus acti,
Iudicia exercent in puerile caput.
Sed paribus vitiis certatur: linguaq; mendax
Ex æquo pueros dedecet, atque viros.
Q. Hæc bene: ſola ſuper ſupremi eſt cura laboris 22
Quæ decimo leges claudit honore decem. Mandatu decimum
R. Lex poſtrema ſitu decima eſt, ſed pondere prima,
Quæ reſecanda omnis tetra cupido mali.
Illa iniuſtitiæ eſt radix primaria, cuius
E ſparſis paſſim frondibus omne malum.
Nam cupere illa, quibus mens irritata patentem
Ipſa ſibi ſternat per mala cuncta viam.
Eſt ſcelerum portas aperire, & cardine verſo

Trudere

Trudere præcipites tartara ad ima reos.
Quicquid enim facere in tabula prohibemur vtrâq;
Si cupiamus, id est, profluit vnde malum.
Quod capta illecebris vitiorum cæca libido
Omne explorat, eis quo potiatur, iter.
Hinc ea ludendi in pueris malesuada cupido,
Qua celeres clausa cogit abire schola.
Nec curare, dies si rideat aëre puro,
Seu totus crassis nubibus ater eat.
Si sol lætus erit, patuli placet area campi.
Quæque patent, ipsis illa patere putant.
Sin pluuio si forte die sol tristior, illis
Angulus ad lusum quilibet aptus erit,
Vt nisi ludatur, nulla reuocentur habena,
Cui liber in manibus, liber is esse nequit.
Ludere nec tantum pueris aliquando noceret,
Si sciret recti lusus habere modum.
Sed quæ non per eos iniuria, quando vagantur
Excussi spacio liberiore iugi?
Hic sibi raptum aliquid, fractas dolet ille fenestras,
Non vlli damno parcit inepta manus.
Sæpe sibi corpus dum fluminis abluit alueo,
Indura ostentat triste cadauer humo.
Hæc mala ludendi sitis improba prouocat, atque
Istis, si qua istis deteriora parit.
Sed pretium lusus incommoda crescere, mentem
Spe lucri accendens vberiore facit.
Nam puer æquales cernens colludere, solus
Ne spectet, nummos totus auere solet.

Vnde

Vnde patri, matriue ſua clam ſurripit aſtu,
Vel ſociorum aliquid vendit, vt inde parer
Vel quauis ratione alia, modo comparet illos,
Perfas, perq; nefas ludere diues amat.
Verum pernicies pueris eſt maxima, quando
Mater eis locuples, vel pater æra dabit,
Hinc celeres audent facinus quodcunq; patrare,
Quos locupletauit ſtulta crumena patrum.
Sin exhauſta patres iam ſentit copia duros,
Vertunt impuras ad mala facta manus.
Hinc Domini deſerta Dei delubra queruntur
In tenero totum corde iacere Deum.
Hinc ſchola diſcipulos dum cernit abeſſe frequentes,
Ad triſtes neruos lingua parata gemit.
Hinc pueros cernens multos turgente theatra
Emungit nummis improba ſcena ſuis.
Et quocunq; illos rapit imperioſa cupido,
Ne morer in multis, huc furor vrget eos.
Vt iuuet interdum committere, quod neque patrum
Nec præceptorum prendere cura poteſt,
Et ſua titillent hilari præcordia riſu,
Quod ſic aſtute fallere vtroſque queant.
Si diuini etenim mandati ſingula membra
Excutias, cernes hoc caput eſſe mali.
Quod pueri cupiant illis incumbere rebus,
Quas nacti oderunt, quod vetat eſſe malos.
Vt niſi pruritum, ſuauemq; cupidinis hydram
Excindas, fruſtra cætera præcipias.

Hinc quibus in pueros prouincia, siue parentes.
Seu præceptores, siue aliud quid erunt,
Perusiles omnem debent intendere curam,
Quantum cauti hominis cura cauere potest,
Ne quicquam obiiciatur eis, quo pulsa cupido
In vetiti sceleris cogat abire nefas.
Præcipuè cum læsa Dei patientia quamuis
Tarda, tamen certo puniat igne malos.
Ipsis præsentem patribus latura dolorem,
E quibus est huius plurima causa mali.
Q. Vera quidem fateor, qua dixti cuncta, tibiq;
Gratulor assensu, sic ea scire, meo.
Verum, mi fili, certum est te omnino require,
Præstare ingenii viribus ista tui.
Vt sine subsidio diuini numinis amplo,
Moriger hæc eius iussa tenere queas.
Vnde Deum precibus, multisq; lacessere votis
Conuenit vt vires suggerat ille tibi.
Si potes ergo precem, Dominus quam tradidit, esse
Quæ sola est omnis formula vera precis.
In qua quicquid opus nobis, vt clausit Iesus,
Sic patris hunc dederit dextera, quicquid opus:
Si vere fidens, & vero corde preceris
Illum quem nullus fallere fucus habet.
R. Ne dubites, illam memori quin pectore formam
Vt premo, sic etiam voce referre queam.
Noster, qui in cœlis resides pater, efficè nomen
Vt velit hic mundus sanctificare tuum.

Ad-

Adueniat regnumque tuum, fiatque voluntas,
Sicut eam cœlum, sic quoque terra velit.
Da nobis hodie panem, quem quisque dierum
Expetit, vt nostrum hoc omne fidelis alat:
Debita nostra etiam nobis dimitte, aliorum
Nos vt eis in nos facta remissa damus.
Ne nos inducas, vitio tentemur vt vllo
Ne prædetur pectora nostra Malus.
Quippe tibi est regnum, tibi vera potentia soli,
Gloriaque haud vllo deperitura die.
Q. Quid petis a Domino tali prece, cum petis, vt te
Infirmum dextra subueniente iuuet?
R. A patre cœlesti, nostro Dominoque, Deoque,
Vnde venit nostri copia plena boni,
Contendo, vt mihi sic adsit, populoque fideli,
Qui toto solum corde precamur eum.
Vt veneremur eum, soli seruire velimus,
Obque secundemus, sic vt oportet, ei
Quinetiam precor, vt nobis impertiat illa,
Vnde salus animæ, corporis vnde salus.
Vt peccata velit nobis dimittere nostra
Mitis, & ad veniam pronior esse suam.
Vt nos defendat, quando vlla pericla minantur:
Spiritibus nostris, corporibusque malum.
Nec vel peccati, vel iniqui dæmonis æstu.
Mortis in æterna prosiliamus iter.
Hæc ego pro patria spero bonitate daturum,
Quandoquidem medius Christus Iesus erit.

Oratio
minic

25 cum v- in puc-

Q. Quid propriè pueros hac in prece ſpectat, vt ame
Mandata ad pueros, pertinuere decem?
R. Hinc docti infirmis ex ſeſe viribus eſſe,
Omniaque à ſolo dona petenda Deo,
Perpetuis precibus debent inſiſtere, mitem
Vt patrem inueniant in ſua vota Deum.
Hinc cum templa vocant ſacris, precibuſq; vacandũ
Diſcant quas templi regia iura docent.
Cum ſchola, quæ à certis precibus exorſa labores
Præparat ad mores præuia corda pios,
Auribus & linguis immota ſilentia mandent.
Dum ſocius claro præcinit ore puer.
Vt Deus illorum mentemque habitumque requirens
Attent a ſanas audiat aure preces.
Quando domi patriæ peragent ſua tempora, debent
Omnia per ſacras ſemper obire preces.

26 ces ma- næ pueri ecto ſur- tis.

Cum ſurget de mane puer, mentemq; manuſq;
In cœlum tendens talia dicta dabit,
Omnipotens æterne Deus, tibi gratia grata
Sit mea, de pueri corde profecta pio.
Quod me ſole nouo, pulſa calligine noctis,
Feceris incolumem rurſus inire diem
Qui mihi purus eat, nec crimine ſordidus vllo
Munifici violem lumina pura patris.

6 es veſ- næ pue bitum is.

" Quando ibit cubitũ ſomno ſuadente quietum,
Hæ præeant ſomni tempora grata preces.
Magne Deus, clemenſq; pater, cui victima pura,
Gratia de grato pectore fuſa placet.

Quæ

Quas potero numerare tibi, quas ſoluere grates,
Hunc per quem potui ſic ſuperare diem?
Quem nox iam ſequitur ſuadens dormire, iacenti
Da pater, vt noctis ſit mihi tuta quies.
" Primo mane pius patrem, matremque precare.
Vt pro te ad Dominum fundat vterq; preces.
In quibus enarrent, fueris quam moriger ipſis,
Quamque tibi cupiant cedere cuncta bene.
Quod quia ſola Dei clementia ſuggerit, orent
Vt tibi fœcundet, multiplicetque bona.
Illud idem facies, cum vox ventura ſoporem
Imperat, at flexo ſtat vtrunque genu.
Quippe orandorum pia conſuetudo parentum
Eſt exorandi ſemita recta Dei.
" Quandocunque vocant alimenti tempora, ſupplex
Talibus vteris vocibus ante cibum.
Summe Deus, tua nos niſi dextera nutriat omnes,
Deficient triſti corpora victa fame.
Sed nutris, pelliſque famem, reparaſq; ſalutem,
Languentemq; foues vberiore cibo.
Quem grati excipimus, quo ſic ſatiemur abundè,
Commoueat bilem ne gula noſtra tuam.
" Cum ſatur à menſa ſurget, ventremq; replêrit,
His ſimiles humili proferat ore preces.
Ingentes tibi ſumme Deus de pectore grates
Fundimus, ob ſumpti munera grata cibi,
Præterea cupidi rcliquam ſic degere vitam,
Ne nobis placeat diſplicuiſſe tibi.

21
Parentu
benedic

29
Gratiar
actio an
cibum.

30
Gratiar
actio p
cibum

31 io grati- m quo- do clau- da.

Hac prece claudentur, quæcunq́, precamina mensam
Seu primam ducent, siue sequentur eam.
Incolumem pater oro fidem, populumque fidelem
Serues, & nostri regia sceptra soli.
Daque salutarem nobis super omnia pacem.
Qua pascit proprias Christus Iesus oues.
" Iam qui doctrinæ studio puer ardet, vt illam
Impetret à Domino, sic prece flectet eum:
Ante animum inducens, quod sit sapientia vana,
Quæ non à summi mente profecta Dei.

32 ces pro ctrina mparãda

Omniaque vt norit latum miranda per orbem,
Prodesse absque Dei cognitione nihil.
Et primam in studiis curam esse, agnoscere Christum,
Et quæ pro nobis vulnera passus erat,
Atque ita compositus submissa voce precetur
Certo auditurum talia vota Deum.
" Summe Deus, cœlum cui sedes, terra scabellum,
Quo sine nil sciri, percipierue potest,
Quod verè sapiat, quia tu sapientia vera,
Tu solus veræ cognitionis apex,
Huc vultus aduerte tuos, lætusque precanti
Annue, quod dono gestit habere tuo.
Linguarum studio capior, quibus omnis inesse
Thesaurus veri creditur vnde via,
Tramite quæ reliquas recto deducet ad artes,
Clausaque in his dextræ grandia dona tuæ.
Cœlitus has à te mitti docet ignea forma,
Qua sacer è sancta spiritus arce ruens

Agmen

Agmen Apostolicum linguarum dote refarsit,
Qua didicit Christum natio quaq; tuum.
Iam quia linguarum mihi vera scientia curæ,
Cuius te autorem muneris esse scio,
Te precor ergo meam ditare hoc munere mentem
Vt linguis diues te mea lingua sonet.
Vtque instructus eis per honestas impiger artes
Maturo ætatis flore viator eam.
Vnde sciens, prudensque meis passim vtilis esse,
Viuereque ad legis suauia iura tuæ.
Vt mea lingua tuæ locuples sit nuncia laudis,
Et nomen pleno prædicet ore tuum.
Quod precor, hoc concede mihi, pater optime, quæso,
Tuque meus facito pondus habere preces,
Cuius ope accipimus quæcunque rogamus Iesu
Christe, salus populo, pacis & aratuo
" *Hanc seriem in precibus si struxerit, omnia summi*
E patris speret cuncta potente manu,
Quæ pietas sperare potest, speraq; ab illo
Accipere, in cuius pectore firma fides.
Qui præstat, quæcunque solet, promittere fidus,
Inque suis similem vult habitare fidem.
Q. Ista Catechismi in pueris mihi forma probatur,
Verum istis ætas plura virilis auet.
Qui docet ista alios, plura istis discat oportet,
Queis docto hæreticum proterat ore caput.
Si quando certamen erit, ne pugnet inermis,
Armatis quando viribus vsus erit.

Sed mihi adhuc indictum aliquid supereſſe videtur
Doctrina pleno pergat vt iſta gradu.
R. Sacramenta duo te credo requirere, Chriſtus
Quæ voluit memores ſemper obire ſuos:
Baptiſmum & cœnam, fidei ſignacula noſtræ,
Quæ duo ſola ſuis Chriſtus habenda dedit.
Occupat introitum baptiſma, & tergere ſordes,
Ac pura ad Chriſtum mente venire iubet,
Quod proprio exemplo Chriſtus ſacrauit Ieſus,
Non quod eo, totus purus, haberet opus,
Sed qui nos moriens effuſo ſanguine lauit,
Corpora ſacrata ſpargerit iuſſit aqua,
Sic aditum fidei, & noſtri ſacraria Chriſti
Baptiſmus, vitæ ianua, prima tenet.
Quem, quia cum prima vitaq́, & luce profeſſi
Cœleſti obtulimus nomina noſtra libro.
Hoc vnum ſupereſt, vitam præſtemus vt illum,
Quæ dignos vitæ nos dabit eſſe libro.
Cœna iubet Domini mortem patientis Ieſu,
Quam pro te miſero, ne morerere, tulit,
Ne te vnquam capiat ſcelerata oblivio, qui ſic
Sanguine deleuit crimina noſtra ſuo.
Cuius, cum memor es, memor es, qua morte periſti,
Quaque via rurſus reddita vita fuit.
Victus vt in mortem ſecum te traxit Adamus,
Sic ſecum in vitam ducit Ieſus ouans.
Ille voluptatis, & ſuauia mala ſecutus,
Æternæ mortis flebilis autor erat.

33 Sacramen duo. Baptiſ-mus.

Cœna. 34

Hic

Hic tibi per medios ſuperata morte dolores,
Æternæ vitæ nobilis autor erat.
Iam cui te debes partæ pro munere vitæ.
Huius ab hoc munus immemore eſſe potes?
Ergo ſacroſanctum, quæ vitæ eſt teſſera cœnam.
Cœleſteſq́, ſtude lætus obire dapes.
Cui menſæ accumbens, ſocios cœnæque tuoſq́,
Quicquid habet cœli regia, fidus habes.
Hæc illa eſſe puto, quæ tu ſupereſſe putabis,
Doctrina vt pleno pergeret iſta gradu.
Q. Hæc ea ſunt, aliis quæ ſubiicienda putabam,
Quorum ſumma breui carmine talis erit.
1 Prima fides docet hiſtoriam, quæ credita vitæ
Æternæ certam ſpem patienter alit.
2 Mortua neue fides iaceat præcepta ſequuntur,
Quæ vitam exornant præſtita, ſpemq́, fouent.
3 Quæ præſtare hominum peccantum neſcia virtus
Pectore diuinam ſupplice poſcit opem.
4 Iam quoniã immemores hæc omnia prodimus, vltrã
Sacramenta duo Chriſtus habere dedit.
Quorum poſterius repetitum ſæpius armat
Contra obliturasipſius acta vias.
Nam prius admiſſum ſemel, idque in limine primo,
Non habet, vt rurſum pòſt repetatur, opus.
Hæc ſenſus eſt ſumma tui, doctrinaq́, vera,
Quam, verè Chriſtum qui profitentur, habent.
Quam cupio pueris notam ſic omnibus eſſe,
Vt paſſu accelerent ad tua verba pani,

4.
Summ
partiu
te chiſ

Vt vitæ effingant istam pietate figuram,
Quam retulit linguæ vox generosa tuæ.
Quæ præceptorum cura est, quæ cura parentum,
Quæ Christum docti cura ministerii.
Nec minus ǵ, hæc ipsis pueris curanda, salutem
Qui positam cernunt in pietate suam.
Qui si contra istam peccabunt plurima formam,
(Vt mala nostra ætas ferrea multa docet)
Excusabit eos vitiosi publica fœtus
Disciplina parens, quæ sine falce metit,
Morbidaque ipsa malos non vult extrudere morbos,
Vt medicum expectet meta suprema Deum,
Sed non sic absoluet eos, vt crimine puros
Se coram Christo iudice stare putent.
Qui sua priuatim memorans peccata cuique,
Mulctat supplicio singula quæque suo.
Vnde decet pueros, si se sapienter amabunt,
Huius doctrinæ sic pia verba sequi.
Vt coram Domino, quando sistentur Iesu,
(Nam pueros etiam mors male certa rapit)
Obsequii laudem proprii, vitæque coronam
Eiusto capiant iudicis ore Dei.
Ista satis: superest, vt quod tua lingua peregit,
In reliqua vita sedulus illud agas.

PERORATIO.

HÆc ego perspicuo descripsi carmine, verbis,
Qualia, qui facilis, sermo pedester habet.

Vt

Vt numeris modicè transuersis prosa loquatur,
Quæ cecinit celeri concita Musa pede.
Et nihil omninò spirans affinè poetis,
Exhibeat Romam, quando Latina fuit.
Versus enim afflatu quem plena poetica rapto
Ex antro profert Calliopœa tuo,
Et cerebrum exagitat puerile, & monstra minatur,
Dum vastis, vt equus deuius, errat agris,
Præterquam quod falsa foret, quoniam inuocat illa,
Numina, quæ vero sex inimica Deo.
Ingenium pueri, mira leuitate refertum
Dementat, Vates dum studet esse furens.
Vt, quando stabilem poscit respublica sensum,
Nil præter nugas ebria musa vomat.
Vt demirer eos, linguas qui ex arte professi
Obtrudunt pueris carmina prima suis.
Atque ea vix linguæ nactis elementa Latinæ,
Quæ musas ipsas metra videre pudet.
Hosce solet fœtus proferre puertia, quando
Ad cantum properat non bene docta loqui.
Cum solido incessu præcedat sermo solutus.
Et referant lepidos carmina rara iocos.
Quos ita laudato commendat gratia plausu,
Si parcè atque suo tempore adesse velint.
Hinc ego sic istos studui componere versus,
Inde vt perciperet, syllaba quanta, puer.
Et morum proprias leges monitusque salubres:
Atqui Phœbeum, Pieriumue nihil.

Trasparente

Transparente tegi cupiunt molaria veſte,
Vt cernat monitus turba docenda ſuos.
Nam ſtylus obſcuro nitens ænigmate lucem
Dum fugit, è monitis lucra futura fugat.
Vnde ego dum morum, & vitæ precepta peragro,
Ad pueri captum carmina fingo rudem.
Nec tamen inſignis ideo contemno Poëtas,
Quorum cum muſis gratia veſtit opus.
Quorum ſcripta lego, & pueris commendo legenda
Quæ diſcenda piè cautio parua dabit.
Sed pueros cupio vitare illa, ubi quorum
Imprimit ingeniis plurima vana furor.
Si labor hic genio cenſebitur eſſe probando,
Latior exiguo tempore plura dabit.

TER-

Tertullianus libro de Pudicitia cap. 1. de omni re bona in genere, etiam ſua ætate, cum Romanum imperium penè in ſenium vergeret.

PVdicitia (quam in eo libro mirificè exornat) aliquatenus, inquit, in ſeculo morabitur, ſi natura præſtruxerit, ſi diſciplina perſuaſerit, ſi cenſura compreſſerit. Siquidem omne animi bonum, aut naſcitur, aut eruditur, aut cogitur. Sed, vt mala vincunt, quæ vltimorum temporum ratio eſt, bona iam nec naſci licet, ita corrupta ſũt ſemina, nec eruditi, ita deſerta ſunt ſtudia, nec cogi, ita exarmata ſunt iura. Quid quęſo diceret, ſi noſtra ætate viueret, & dominante licentia corrupta omnia cerneret? Quæ noſtrorum temporum ratio eo eſt deterior, quia Chriſtianam ſeueritatem profeſſi nihil præter vocis ſonum Chriſto dignum ſapimus.

FINIS,